348.735
Ep47

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/epitomaapostolic0000vari

EPITOMA

APOSTOLICARUM CONSTITUTIONUM

ET

DECRETORUM

QUAE

A REGULARIBUS UBIQUE LOCORUM

IN PUBLICA MENSA

SIVE ALIAS IN CAPITULO AD HOC SPECIALITER CONVOCATO SINGULIS ANNIS AC STATUTIS TEMPORIBUS LEGENDA SUNT

BIBLIOTH. PRIVATA
P. PRAEP. GEN. S. J.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA GUERRA ET MIRRI
In Platea ad S. Marcelli Oratorium 50.
1878

A. M. D. G.

COSTITUTIONES ET DECRETA APOSTOLICA

A REGULARIBUS

IN PUBLICA MENSA LEGENDA

Mense Ianuario

Constitutio et Décr. Clementis VIII. et Urbani VIII. de largitione munerum.

Mense Februario

Decreta de apostatis et ejectis cum Encyclica S. Congregationis.

Mense Martio

Decretum Alexandri VII. contra haereticam pravitatem.

Feria VI. post octavam Corporis Christi

Constitutio Innocentii XII. de celebratione Missarum.

Feria VI. post octavam Assumptionis B. M. V.

Decreta Urbani VIII. et Benedicti XIV. contra haereticam pravitatem.

Mense Octobri

Pro secunda vice Decreta Apostolica, ut mense Februario.

Feria II. post Dominicam I. Adventus

Pro secunda vice Constitutio Innocentii XII. de celebratione Missarum.

FINIS

EPITOMA

APOSTOLICARUM CONSTITUTIONUM

ET

DECRETORUM

QUAE

A REGULARIBUS UBIQUE LOCORUM

IN PUBLICA MENSA

SIVE ALIAS IN CAPITULO AD HOC SPECIALITER CONVOCATO SINGULIS ANNIS AC STATUTIS TEMPORIBUS LEGENDA SUNT

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California
2 26.302
BIBLIOTECA PRIVATA P. PRAM. GEN. S. J.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA GUERRA ET MIRRI
In Platea ad S. Marcelli Oratorium 50.
1878

38812

MONITA

I. Sacra Congregatio Regularis Disciplinae die 26. Augusti 1826. approbavit Compendium Apostolicarum Constitutionum, et Decretorum lingua italica exaratum; atque Regularibus facultatem concessit ipsum publice legendi pro exemplaribus latinis juxta Summorum Pontificum praescriptum. Praefato Compendio plane consonat praesens Epitoma, in quo, ut fieri potuit, dicendi rationes, et formulae servatae sunt, quae in originalibus monumentis habentur. Concordat exemplaribus editis Romae, anno 1862. cura et jussu Rmi P. Nicolai a S. Joanne, totius Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capuccinorum Ministri Generalis, nec non Consultoris S. Congr. Episcop. et Regularium.

II. Ea Decreta, quae asterisco (*) adnotata diversis exarata sunt characteribus, ad solam Italiam, Insulasque adjacentes pertinent; ideo minime oportet, ut a Regularibus ultra montes commorantibus publica de iis habeatur lectio.

TABELLA

PRO TEMPORIBUS PRAEFIXIS AD LEGENDA SUMMORUM PONTIFICUM DECRETA

Mense

JANUARII — Die prima legitur Decretum de testimonialibus Ordinariorum literis in receptione Postulantium habitum religiosum; nec non Epistola encyclica de votis simplicibus : pagina 7.

Die pariter prima legitur Decretum (*Pro Italis tantum*) de receptione Novitiorum ad habitum, et professionem : pag. 10.

Feria VI. post Octavam Epiphaniae leguntur Decreta de largitione munerum, et de rebus *regularibus* non alienandis: p.18.

FEBRUARII — Leguntur Decreta de reformatione Regularium, de Apostatis, et Ejectis; nec non (*pro Italis tantum*) Epistolae super Doctrina Christiana, Decretum de duobus Officiis discrepantibus, et Epistola super Apostolicarum Constitutionum lectione: p. 27.

MARTII — Leguntur Decreta ad Supremam Inquisitionem spectantia: p.57.

JUNII — Feria VI. post Octavam Corporis Christi leguntur Decreta super celebratione Missarum: pag.88.

JULII — Dominica prima legitur pro secunda vice Decretum (*pro Italis tantum*) de receptione Novitiorum ad habitum, et professionem: pag. 10.

AUGUSTI — Feria VI. post Octavam Assumptionis B. M. V. legitur Decretum Urbani VIII. de observantia, et executione Apostolicarum Constitutionum ad S. Officium pertinentium; nec non Decretum Benedicti XIV. pag. 101.

SEPTEMBRIS — Leguntur pro secunda vice Decreta de reformatione Regularium, de Apostatis, et Ejectis; nec non (*pro Italis tantum*) Epistolae super Doctrina Christiana, Decretum de duobus Officiis discrepantibus, et Epistola super Apostolicarum Constitutionum lectione: pag. 27.

DECEMBRIS — Feria II. post Dominicam primam Adventus leguntur pro secunda vice Decreta super celebratione Missarum: pag. 88.

DECRETUM

ET

EPISTOLA ENCYCLICA

DE QUIBUS LECTIO HABENDA EST

MENSE JANUARII DIE PRIMA

DECRETUM DE TESTIMONIALIBUS ORDINARIORUM LITTERIS REQUIRENDIS QUOAD POSTULANTES RELIGIONIS INGRESSUM.

I. Summus Pontifex Pius IX. Regularium Familiarum bono, et splendori prospicere vehementer cupiens, audito voto Sacrae Congregationis super Statu Regularium, suo Decreto diei 25. Januarii 1846. incipiente «Romani Pontifices» ac ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando, sequentia statuit.

1. In quocumque Ordine, Instituto, Monasterio, vel Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet quovis privilegio suffultis, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans, post expletum decimum quintum annum aetatis suae, ultra annum moratus fuerit.

2. Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus referre debeant de Postulantis natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irreti-

tus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius. Super his singulis articulis ea tantum testari debeant Ordinarii, quae affirmare in Domino judicaverint; nec ipsis unquam liberum sit hujusmodi testimoniales literas denegare, eorumque conscientia super veritate expositorum oneratur.

3. Omnibus Superioribus Regularibus, et Religiosis, ad quos spectat, etiam in virtute sanctae obedientiae hujus Decreti observantia districte praecipitur, et si quis contra ejus tenorem, aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis omnium officiorum vocisque activae et passivae, ac inhabilitatis ad illa, Apostolicae Sedi reservatam, eo ipso incurrat.

4. Nullum privilegium, dispensatio, vel approbatio regularum, et constitutionum etiam in forma specifica ab Apostolica Sede obtenta valeat huic Decreto derogare, nisi ei expresse et nominatim derogetur; et si haec dispensatio alicui Instituto concedi contigerit, aliis vi cujuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum extendi nequeat.

5. Quolibet anno die prima Januarii in publica mensa hoc Decretum legatur sub poena privationis officii, et vocis activae, et passivae a Superioribus ipso facto incurrenda. Non obstantibus etc. derogando etc.

EPISTOLA ENCYCLICA DE VOTIS SIMPLICIBUS EMITTENDIS.

II. Idem Summus Pontifex Pius IX. per literas encyclicas a Sacra Congregatione super Statu Regularium die 19. Martii 1857. editas, ac incipientes «Neminem latet» haec quae sequuntur, quoad

Religiosas virorum Familias, in quibus solemnia vota emittuntur, contrariis quibuscumque derogatis, decrevit, et omnibus ad quos spectant, ex obedientiae praecepto observari et executioni demandari districte praecepit.

1. Peracta probatione, et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, Novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam majorem quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur; et quoad Laicos et Conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII. incipiens « In Supremo » praefinita est.

2. Professi post triennium, a die quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, exceptis iis Institutis, quibus professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Poterit vero Superior Generalis, vel Provincialis, ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum. Si vero in Ordine Provinciales non habeantur, hujusmodi facultas tribuitur Superiori Domus Novitiatus, de consensu tamen Magistri Novitiorum, et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu insigniti sint.

3. Decreta S. Congregationis super Statu Regularium incipien. « Romani Pontifices » et « Regulari Disciplinae » anno 1848. promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, Novitiatum, et professionem votorum simplicium.

* DECRETUM

(PRO ITALIS TANTUM)

LEGENDUM

DIE PRIMA JANUARII

ET

DOMINICA PRIMA JULII

DE RECEPTIONE NOVITIORUM AD HABITUM, ET PROFESSIONEM.

Summus Pontifex Pius IX. Religiosarum Familiarum disciplinae promovendae intentus, ac sententiae S. Congregationis super Statu Regularium inhaerens, suo perpetuis futuris temporibus valituro Decreto diei 25. *Januarii* 1848. *exordiente « Regulari Disciplinae » sequentia de receptione Novitiorum ad habitum, et professionem pro Italia, et Insulis adjacentibus statuit.*

PARS PRIMA DECRETI

DE LEGE SERVANDA IN PROBANDIS POSTULANTIBUS RELIGIOSUM HABITUM.

1. *Nemo ad habitum recipiatur in quocumque Ordine, Instituto, Monasterio, aut Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet quovis privilegio munitis, nisi duplici scrutinio juxta infrascriptum modum probatus fuerit.*

2. *In qualibet Provincia habeantur octo Examinatores, scilicet Provincialis, et septem alii idonei ac probatae vitae Religiosi, a Capitulo, seu Congregatione Provinciali eligendi, et duraturi usque*

ad novum provinciale Capitulum, seu Congregationem, inter quas tamen duo, si qui sint, e Definitoribus, Consultoribus, Assistentibns, vel Consiliariis Provincialibus deligantur.

3. *Provincialis omnia exquirat postulantis documenta, et requisita ad praescriptum SS. Canonum, Decretorum, et Constitutionum Apostolicarum, ac statutorum Ordinis, et diligenter inquirat, utrum sit omni defectu et impedimento immunis, necessariis dotibus praeditus, religioso statui idoneus, et quo fine ductus admitti postulet. Deinde omnia documenta, et informationes tradat perpendendas tribus saltem ex praefatis Examinatoribus, exclusis postulantis consanguineis et affinibus. Indicto examinis die, cum delectis ab ipso Examinatoribus conveniet, et postquam omnes juraverint ad Sancta Dei Evangelia,* se quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros, *postulantem examinent, eoque ab examinis loco dimisso, ejus documenta, qualitates, requisita aliaque superius notata serio expendant, et deinceps per secreta suffragia judicent an sit approbatione dignus, super quibus eorum omnium conscientia graviter oneratur. Is autem probatus dumtaxat intelligatur, qui saltem unum suffragium super medietatem obtinuerit. Examen, et scrutinium approbati, scripto fideliter exaratum, Provincialis et unusquisque Examinatorum manu propria subscribet declarando etiam sese omnia praescripta a SS. Canonibus, Constitutionibus, et decretis Apostolicis, ac Regulis, statutisque sui Ordinis debito modo examinasse. Hujusmodi vero relationem examinis, et scrutinii, ac respectivam declarationem jurejurando confirment, quae omnia una cum authenticis documentis Provincialis ad*

Superiorem Generalem, vel ad Procuratorem Generalem, ut infra, transmittet.

4. *In Ordinibus, aliisque Institutis, in quibus Provinciales non existunt, vel Provincialia Capitula, seu Congregationes non celebrantur, Examinatores pro unaquaque domo Novitiatus eligantur juxta superius praescriptam methodum a Capitulo, Dieta, seu Congregatione generali; et Superior ejusdem Domus, loco Provincialis habeatur, cujus erit convocare Examinatores, et alia in Art. III. statuta peragere, ita tamen, ut si ob pauciorem Religiosorum numerum septem Examinatores eligi nequeant, saltem quatuor eligantur.*

5. *Si Institutum constet aliquo tantum separato Monasterio, vel Domo, nec in Congregationem erectum sit, et Capitulum, Dietam, Congregationem generalem minime habeat, Examinatores capitulariter per secreta suffragia a Superiore et Capitularibus ejusdem Monasterii, vel Domus eligantur, servato eorum numero in Art. IV. praefinito, et in officio ad triennium perdurent.*

6. *Praeter Examinatores Provinciales in quolibet Ordine, seu Instituto alii septem Examinatores, qui ob pauciorem Religiosorum numerum ad quatuor reduci poterunt, ex gravioribus probatae vitae Religiosis per secreta suffragia in Capitulo, Dieta, vel Congregatione generali eligendi, et usque ad futurum Capitulum, Dietam, vel Congregationem generalem duraturi constituantur. Inter eos tamen, duo, si qui sint, e Definitoribus, Assistentibus, Consultoribus, Visitatoribus, vel aliis Consiliariis generalibus deputentur. Superior Generalis erit praeses cum suffragio in consilio Examinatorum; et Procurator generalis uti Examinator natus praeter electos habendus erit.*

7. *Describitur modus tenendus in intervallo a data hujus Decreti usque ad celebrationem proximi Capituli, Dietae, vel Congregationis generalis.*

8. *Si agatur de Instituto, quod constituatur ex aliquo tantum separato Monasterio, vel Domo, nec in Congregationem erecto, et praeter localem, alius major Superior non habeatur, Superior localis probum, et idoneum deputet Religiosum, ut primum scrutinium, de quo in Articulo III. perficiat cum Examinatoribus electis juxta Art. V, et ipse Superior localis cum iis Capitularibus ejusdem domus, qui locum in eodem primo scrutinio non habuerunt, secundum scrutinium in Art. X. praescribendum exequetur.*

9. *In iis Ordinibus, et Institutis, in quibus Capitula, Dietae, Congregationes generales vel non celebrantur, vel raro convocantur, auctoritas circa electionem Examinatorum generalium conceditur Superiori generali cum Definitoribus, Visitatoribus, Assistentibus, Consultoribus, aliisque Consiliariis generalibus, qui si non sint saltem quatuor, Superior Generalis ad enunciatum numerum constituendum alios graves, et idoneos Religiosos eis adjungat, quod potiori ratione fieri debet, si nulli Definitores, Assistentes, aliique Consiliarii generales reperiantur. Hujusmodi electio Examinatorum fiat per secreta suffragia quolibet triennio, nec electores teneantur duos Definitores, Assistentes, vel alios Consiliarios generales inter eos adnumerare.*

10. *Cum Superior Generalis relationem examinis, et scrutinii, ac enunciatam superius declarationem cum authenticis documentis ad praescriptum Art. III. receperit, ea per singulas partes expendat sedulo investigando num tenor hujus De-*

creti servatus fuerit, et an adversus candidatum, et primum scrutinium aliqua exceptio inveniatur. Deinde ea omnia perpendenda juxta modum in Art. III. designatum tradat Procuratori generali, et saltem aliis duobus Examinatoribus generalibus, tribus vero absente Procuratore generali, exclusis tamen postulantis consanguineis, et affinibus. Postea indicto die conveniant, et praestito ab unoquoque eorum, ut supra, juramento, reque mature perpensa, per secreta suffragia, quorum unum saltem supra medietatem in confirmationis favore requiritur, definiant an approbatio facta in primo scrutinio confirmanda sit, vel revocanda, super quibus eorum omnium conscientia graviter oneratur.

11. *Si Superior Generalis Romae non resideat, acta, de quibus in Art. III. ad Procuratorem generalem Romae morantem transmittenda erunt, dummodo tamen idem Procurator tres saltem Examinatores generales Romae habeat, vel eos ad Urbem commode vocare possit. Quo in casu quoad praemissa omnia vices Superioris generalis gerat. Quod si Examinatores generales nec Romae degant, nec commode vocari possint, eadem acta ad Superiorem generalem, etsi alibi moretur, transmittantur, ut ea peragat quae in Art. III. statuta sunt.*

12. *Superior generalis, sive ipse, sive Procurator generalis secundo scrutinio praefuerit, poterit candidatum ex justis et rationabilibus causis rejicere, licet ab Examinatoribus in utroque scrutinio probatus; numquam vero admittere eum, qui fuerit ab Examinatoribus reprobatus.*

13. *In candidati receptione praeter superius praescripta, servanda etiam erunt, quae a Consti-*

tutionibus, et Statutis respectivi Ordinis circa receptionem ad habitum praescribuntur, in ea tamen parte, quae huic Decreto non opponitur.

14. *Superiores quolibet semestri ad Sacram Congregationem super Statu Regularium summarie referant de singulis Novitiis ad habitum receptis, de uniuscujusque aetate, patria, aliisque qualitatibus, et respectivis documentis, nec non de actis confectis pro receptione, deque observantia hujus Decreti.*

PARS SECUNDA DECRETI

DE LEGE SERVANDA IN ADMITTENDIS NOVITIIS AD PROFESSIONEM.

1. *Quicumque ex Religiosis, et Novitiis alicujus Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, vel Domus, de quibus part. I. decreti Art.* 1. *cognoverit Novitium sui Instituti aliquo impedimento, vel gravi defectu praepeditum ad Religiosum statum rite assumendum, id Superiori Conventus Novitiatus, vel Provinciali, vel Superiori generali manifestare teneatur. Superiores verò denunciantis nomen secretum retineant.*

2. *Prope terminum cujusque trimestris novitiatus, Magister Novitiorum Provinciali de agendi ratione cujusque Novitii scripto referat.*

3. *Duobus mensibus ante professionem, Provincialis sive per se, sive per alium idoneum Religiosum sibi benevisum Novitii voluntatem diligenter exploret, an coactus, an seductus sit, quo spiritu ad Religiosum statum ductus, an sciat quid agat, an obligationes status Religiosi, et regulae agnoscat: secreto audiat tum Magistrum Novitio-*

rum, tum Novitios, nec non Religiosos etiam Conversos Conventus, seu Domus Novitiatus circa Novitium ad professionem admittendum. Quo facto Capitulum Conventuale ejusdem Conventus, seu Domus convocet, ut Capitulares per secreta suffragia declarent an Novitius ad Professionem admitti possit. Deinceps omnium actorum, et resultantium relationem scripto exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat.

4. *Hujusmodi relationem Provincialis tribus saltem Examinatoribus provincialibus communicet, et condicto die convocet praefatos Examinatores, et Novitiorum Magistrum, et praestito ab omnibus superius enunciato juramento, Magister Novitiorum referat de Novitii agendi ratione in Noviliatu servata, de ejus libertate, vocatione, et idoneitate ad statum religiosum, et declaret utrum ipse in Domino existimet Novitium ad professionem tuto admitti posse. Si vero Magister Novitiorum, vel ratione distantiae, vel alia legitima causa ad locum scrutinii commode accedere nequeat, transmittat super praemissis relationem in scriptis, illamque juramento confirmet, et propria manu subscribat. Provincialis deinceps, et Examinatores per secreta suffragia definiant an Novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad professionem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat.*

5. *Si Novitius probatus fuerit, Provincialis de omnibus instructum reddat Superiorem Generalem, qui ulterioribus informationibus, quatenus necessarium judicaverit, requisitis, approbationem revocet, vel confirmet, prout in Domino existimaverit, quin tamen unquam permittere possit*

professionem Novitii, qui ab Examinatoribus provincialibus reprobatus fuerit.

6. *In iis Institutis, in quibus Provinciales non existunt, sint illorum loco, ad effectum de quo agitur, Superiores Domus Novitiatus.*

7. *Si quid ulterius exigant Constitutiones, et regulae alicujus Ordinis, et Instituti in admittendis Novitiis ad professionem, id servandum etiam erit, in ea dumtaxat parte, quae tenori hujus Decreti minime contraria sit.*

Ut autem hoc Decretum quoad utramque partem executioni omnino demandetur, omnibus ad quos spectat etiam in virtute sanctae obedientiae districte praecipitur plena illius observantia, et quilibet Superior cujuscumque gradus, et Instituti, licet quovis privilegio muniti, qui non servata hujus decreti forma Novitium receperit ad habitum, et professionem, subjicitur poenae privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad illa ipso facto incurrendae, et Apostolicae Sedi reservatae. Singulis etiam Superioribus jussum est, ut idem decretum quolibet anno in omnibus Monasteriis, Collegiis, et Domibus die prima Januarii, et Dominica prima Julii in publica mensa legatur sub poena privationis officii, vocisque activae, et passivae ipso facto incurrenda. Neque ullum privilegium, facultas, indultum, approbatio, dispensatio regularum et constitutionum etiam in forma specifica ab Apostolica Sede obtenta poterit huic decreto derogare, nisi ei expresse et nominatim derogetur; quod si haec dispensatio alicui Instituto concedi contigerit, aliis minime extendi valeat vi cujuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum. Non obstantibus etc. derogando etc.

DECRETA LEGENDA

MENSE JANUARII

FERIA SEXTA POST OCTAVAM EPIPHANIAE

DE LARGITIONE MUNERUM, ET DE REBUS REGULARIBUS NON ALIENANDIS.

1. Clemens VIII. in sua Constitutione edita die 18. Junii 1594. quae incipit « Religiosae Congregationes » sequentia decernit.

I. Universis, et singulis utriuslibet sexus Regularibus personis cujuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, possidentium, vel non possidentium cujusvis Instituti, Congregationis, et Societatis (non tamen Militiae) omnem, et quamcumque largitionem, et missionem munerum penitus interdixit.

2. Sub qua prohibitione comprehendi voluit omnia, et singula Capitula, et Congregationes Conventuales, Provinciales, et Generales, Camerarios, Commissarios, et singulares personas, et quoscumque Officiales, ipsos etiam Superiores locales, Provinciales, et Generales, nec non Moniales, Priorissas, Abbatissas, tam ipsis Regularibus, quam Ordinariis subjectas; adeo, ut nemo unquam eorum vel earum, directe vel indirecte, palam vel occulte, tam communi, quam particulari, et proprio nomine, et sub quovis titulo, causa, aut statuti, vel consuetudinis praetextu quidquam tale attentare valeat, nisi in Generali Capitulo, aut alia generali Congregatione, re mature discussa, unanimi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit.

3. Id autem ita absolute et generatim prohi-

buit, ut minime liceat quidquam donare ex fructibus, redditibus, proventibus, collectis, contributionibus, oblationibus, eleemosynis, aut subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, vel extraordinariis, mensae, seu massae communis, aut cujusvis Fabricae, et Sacristiae, quorum bona communiter administrantur, et rationibus reddendis sunt obnoxia. Item de pecuniis, quae vel a singulis Religiosis acquiruntur, quippe quas jubet in commune conferendas esse, vel forsan cuilibet Religioso privatim, et nominatim concessae, aut attributae fuerunt a suis Superioribus, Affinibus, Propinquis, Familiaribus, Amicis, Benevolis, et a piis Christifidelibus, etiam eleemosynae, et charitatis titulo, ut videlicet vel Monasterio incorporentur, vel Superiorum permissu de eis ad libitum disponat.

Excipiuntur solummodo leviora munuscula, esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem et Religionem pertinentia, non particulari, sed communi nomine tradenda.

Hujusmodi vero missiones munerum Religiosis vetantur vel per se ipsos, vel per alios, tam directe, quam indirecte fiant.

4. Nec quispiam ab hac prohibitione se excusare valeat, etiamsi munera miserit cuivis personae Laicae, vel Ecclesiasticae, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel dignitatis, etiam Ducalis, Regiae, Imperialis, Pontificalis, et Cardinalitiae, proprio quoque Loci Ordinario, licet ex causa, et occasione benedictionis, susceptionis habitus regularis, tonsurae, aut professionis Monialium, tam sibi subditarum, quam non subditarum, nec non Protectoribus, Viceprotectoribus, Generalibus, Provincialibus, locorum Superioribus, ipsisque particularibus Religiosis; ita ut inter

ipsos quoque Religiosos, quaecumque largitio munerum, nisi rerum minutarum de licentia expressa et in scriptis Superiorum, sit penitus interdicta.

5. Insuper prohibuit ne ullae pecuniae erogentur in alicujus etiam Benefactoris, Protectoris, et Ordinarii honorem, etiam occasione transitus, aut primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi testificationem, tum in eisdem honorifice excipiendis, tum convivio opipare habendis; vel pro comessationibus, et compotationibus quibusvis personis tam Monasterii, quam extraneis largiendis; vel pro spectaculis, etiam piis de Sanctorum vita, ac Passionis Dominicae memoria exhibendis, vel denique in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam, et ostentationem, aut ad oblectationem et lucrum paucorum, et privata commoda pertinentibus.

6. Exceptis vero sumptibus pro Divino cultu, et veris pauperum indigentiis, servato in hoc charitatis ordine, et habita necessitatis ratione, ac de Superiorum consilio, et consensu; nec non in aliis rebus licitis, ac minime prohibitis per Capitulum Generale, aut Provinciale, et taxam ibi forsan praescriptam non excedentibus.

7. Declarat tamen per haec hospitalitatem praesertim erga pauperes et peregrinos nequaquam imminui, aut prohiberi: quinimmo, si qui redditus ad id applicati, aut donati extant, eos omnino, atque integre in pios hujusmodi hospitalitatis usus erogandos expresse commendat, praesertim in locis desertis et remotis, ubi tamen vere egenorum ratio in primis habeatur. Quoad alios autem, qui occasione transitus, aut devotionis, et necessitatis causa eo divertunt, licet deberent ii cum Religiosis Refectorio, mensa, et ferculis communibus

frui, nihilominus si deceat ipsos peculiari modo excipere, frugalitas, et paupertas religiosa prorsus eluceat.

8. Pari etiam ratione districte inhibet, ne quispiam cujuscumque gradus, etiam Cardinales, Episcopi, Protectores, Generales, Provinciales, etc. eorumque utriusque sexus affines et propinqui a praefatis Regularibus quidquam contra superius expressam prohibitionem recipiant.

9. Sub poena, ut ii, qui aliquid contra superius praescriptum recipient, ad illius restitutionem in utroque foro teneantur, adeo ut nequeant in foro conscientiae absolvi nisi restitutione ipsa realiter peracta; et quidem absque ulla monitione, decreto, sententia, et declaratione Judicis, sed ipso facto incurrenda.

10. Hanc autem restitutionem fieri vult non privatim ei Religioso qui donavit, sed ei Monasterio, Domui, aut loco, de cujus bonis facta est largitio, vel in quo Religiosus donans professionem emisit, ita ut neque Religiosus, nec Conventus, Capitulum, Ordo, et Religio, cui restitutio facienda est illam remittere, et condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget, concedere valeat.

11. Regulares vero hujusce Constitutionis transgressores ipso facto privantur omnibus dignitatibus, gradibus, officiis, voce activa et passiva, ita ut ad illa, et alia similia in futurum obtinenda inhabiles, ac perpetua infamia et ignominia notati existant; atque etiam tamquam contra furti et simoniae criminum reos, tam per viam denunciationis, accusationis et querelae, quam ex officio procedi, et inquiri, condignisque suppliciis affici debeant, praeter alias poenas a Jure statutas, aut ab

aliis Constitutionibus Apostolicis, aut a propriis cujusvis Monasterii, Ordinis, Congregationis legibus, et consuetudinibus contra eosdem inflictas.

12. Decernens denique universis et singulis Ordinariis, eorumque Vicariis, ac Ordinum Regularium Superioribus, ut curent omni studio praesentem Constitutionem firmiter, et inviolate observari; nec non transgressores, aut contradictores per opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescere, invocato etiam (si opus fuerit) auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc. derogando, etc. ac demum praecipiens, ut haec Constitutio, ejusque compendium in libris cujuslibet Monasterii, etiam Monialium, quoad eas tamen in vulgari sermone, inseratur, et saltem quotannis in Capitulis, sive Congregationibus, alta et intelligibili voce legatur, ad cujus observantiam post sexaginta dies citra montes, ultra montes vero post quatuor menses a die publicationis in Romana Curia omnes teneantur.

DECLARATIO ET CONFIRMATIO PRAECEDENTIS CONSTITUTIONIS.

II. Urbanus VIII. per suam Constitutionem datam sub die 16. Octobris 1640. ac incipientem « Nuper a Congregatione » confirmavit, et approbavit declarationes et decreta edita a Congregatione ab ipso ad hoc deputata coram E^mo^ Majori Poenitentiario super quibusdam dubiis et difficultatibus exortis circa observantiam praecedentis Clementis VIII. Constitutionis. Declarationes sunt sequentis tenoris, idest:

1. Munera a Regularibus utriusque sexus tribui possunt ex causis gratitudinis, conciliandae

benevolentiae, ejusque conservandae erga ipsam Religionem, vel Conventum, aliisve causis ex sua natura actum virtutis et meriti continentibus, dummodo id fiat modeste, discrete, ac de Superiorum localium licentia, atque etiam cum consensu majoris partis Conventus, si talis consensus de jure, vel ex constitutionibus, seu consuetudine cujusque Religionis respective in hujusmodi casibus requiratur.

2. Consensus Conventus, aut Capituli conventualis a praefata Clementis VIII. Constitutione ad leviora esculenta, et poculenta, seu ad devotionem, et religiositatem pertinentia munuscula largienda requisitus, intelligi debet de consensu alias de jure requisito, et ubi adest ambitionis suspicio, qua vero cessante nec requiratur Superioris licentia in scriptis, sed tantum oretenus.

3. Comessationes, compotationes, et convivia in excipiendis praesertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis habenda sunt tantummodo prohibita, si decentiae status regularis adversentur.

4. Restitutio receptorum facienda est Conventibus, ad quos donata de jure pertinent, si id commode fieri potest, alias Conventui ejusdem Religionis viciniori restituantur.

5. Insuper concedit, ut omnes, qui usque ad illud tempus contra supradictae Clementis VIII. Constitutionis statuta, largiti sunt, vel receperunt, a propriis Confessariis absolvi possint in foro conscientiae etiam non facta prius restitutione. Eos vero, qui praeter modum praedictum graviori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo transgressi sunt, sed ob inopiam restituere nequeant, Majori Poenitentiario concedit, ut de praeteritis,

usque ad illum diem in foro conscientiae absolvat, dispenset, et condonet, seu absolvi, dispensari, et condonari mandet.

6. Denique jubet praedictam Clementis VIII. Constitutionem in reliquis ejus partibus omnino observari, ac Superioribus localibus praecipit, ut singulis annis mense Januario praefata Constitutio, ac praesentes declarationes, et decreta in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa perlegantur, sub poena privationis officii, vocisque activae, et passivae ipso Jure incurrenda.

Omnibus Ecclesiasticis Personis, tam Regularibus, quam Laicis praedictam Clementis VIII. Constitutionem contra praesentis decreti tenorem declarandi vel interpretandi facultatem penitus interdicit.

FACULTAS MAJORIS POENITENTIARII DE ABSOLVENDO MUNERA A REGULARIBUS RECIPIENTES

III. Benedictus XIV. in sua Constitutione sub die 13. Aprilis 1744. quae incipit « Pastor bonus » §. 26., praecipit Majori Poenitentiario ne absolvat eos, qui munera a Regularibus acceperunt contra praefatarum Clementis VIII. et Urbani VIII. Constitutionum praescriptum, quando eadem munera valorem decem scutatorum excedunt, nisi prius facta fuerit restitutio, aut si Poenitens nequeat eam de praesenti adimplere, cum obligatione restitutionis exequendae cum primum fieri poterit. Quod si ea munera valorem decem scutatorum non excedant, Poenitentiario Majori tribuit facultatem absolvendi, imposito ipsius arbitrio Poenitenti onere, ut aliquam eleemosynam largiatur in beneficium Religionis, vel Monasterii, cui

restitutio essot de jure facienda, dummodo debitis cautelis id exequi valeat.

DE REBUS REGULARIBUS NON ALIENANDIS

IV. Paulus II. per suam Constitutionem die 1. Martii 1468., exordientem « Ambitiose » prohibitiones, Constitutiones, et Decreta suorum Praedecessorum innovans iterum prohibuit omnium rerum, et bonorum Ecclesiasticorum alienationem, pactumque omne per quod ipsorum dominium transfertur, nec non concessionem, hypothecam, locationem, et conductionem ultra triennium, infeudationem, vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a jure permissis, ac de rebus, et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, et bonis, quae servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia. Idque vetitum est sub poena nullitatis tum alienationis, tum cujuslibet contractus; nec non sub poena excommunicationis tam pro alienante, quam pro eo, qui bona praedicta receperit. Alienanti vero, inconsulto Romano Pontifice, si Pontificali, vel Abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus Ecclesiae est penitus interdictus, et, si per sex menses immediate sequentes sub interdicto hujusmodi animo perseverat indurato, lapsis mensibus eisdem, a regimine, et administratione suae Ecclesiae, vel Monasterii, in spiritualibus, et temporalibus est eo ipso suspensus. Inferiores autem Praelati, Commendatarii etc. ipso facto privantur Prioratibus, Praeposituris, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis, Canonicatibus, Praebendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura, et sine, Saecularibus et Regularibus beneficiis, quorum bona alienarunt,

quae ideo vacant ipso jure, et bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, et Loca pia, ad quae pertinebant, libere revertuntur.

V. Id ipsum decernit Sacrum Concilium Tridentinum Sess. 22. Cap. 11. tum pro iis qui Ecclesiarum bona usurpant, tum pro iis, qui hujusmodi usurpationi assentiuntur, sub poena in utrosque excommunicationis Romano Pontifici reservatae, nec non sub poena suspensionis ab Ordinibus etiam post satisfactionem, et absolutionem.

LOCATIONES IN SUCCESSORUM PRAEJUDICIUM PROHIBITAE

VI. Sacrum Concilium Tridentinum Sess. 25. Cap. 11. prohibet locationes in Successorum praejudicium anticipatis solutionibus factas, nec non locationes jurisdictionum Ecclesiasticarum, et facultatum nominandi, aut deputandi Vicarios in spiritualibus; atque etiam prohibet conductoribus vel per se, vel per alios hujusmodi facultatum exercitium.

REVOCATIO PRIVILEGIORUM REGULARIUM CIRCA ALIENATIONES

VII. Sacra Concilii Congregatio per decretum, speciali Urbani VIII. jussu, die 7. Septembris 1624. editum prohibet Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, et Superioribus cujusvis Ordinis, vel Instituti intra fines Europae existentibus, omnium rerum, et bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, pactumque omne, per quod dominium transferatur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecas, locationes, et conductiones ultra triennium, concessiones in feudum, vel emphyteuses, praeterquam in casibus a jure permissis, absque praefatae Sacrae Congre-

gationis licentia in scriptis: sub poena privationis omnium officiorum, vocisque activae, et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa ipso facto incurrenda; sublata etiam Generali, et Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate, praeter poenas in aliis Apostolicis Constitutionibus expressas. Alienationes vero, omnesque contractus contra hujusmodi prohibitionem, si qui fiant, ipso jure nullos, atque irritos decernit; ideoque omnia, et singula privilegia usque ad illum diem obtenta, licet specialissima, revocat, atque derogat.

ALIUD HUJUSMODI DECRETUM ADVERSUS CAMBIUM, AUT MUTUUM CUM FOENERIS SOLUTIONE

VIII. Eadem Sacra Concilii Congregatio approbante ipso Urbano VIII. per decretum die 21. Martii 1621. emanatum declaravit, quod Regularibus vetetur nedum census perpetuos imponere, verum etiam pecunias accipere mutuo, vel ad cambium cum onere solvendi foeneris, quamvis sub praetextu lucri cessantis, vel damni emergentis.

DECRETA LEGENDA MENSE FEBRUARII ET SEPTEMBRIS

DE REFORMATIONE REGULARIUM, DE APOSTATIS, ET EJECTIS.

Antequam Decreta Clementis VIII. et Urbani VIII. circa reformationem Regularium exponantur, opportunum videtur hic etiam Decreta Sacri Concilii Tridentini de eadem reformatione referre-utpote quibus praefata Summorum Pontificum Decreta innituntur.

I. Sacrosanctum Tridentinum Concilium in Sess. 25. de Regularibus, in plerisque Capitulis sequentia observanda praescribit, decernit ac jubet, videlicet:

Cap. 1. Ut omnes Regulares obedientiae, paupertatis, et castitatis, ac si quae alia sunt alicujus Regulae, et Ordinis peculiaria vota, et praecepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum, et vestitum pertinentia fideliter observent.

Cap. 2. Ut nemini Regularium liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria aut etiam nomine conventus possidere. Neque liceat Superioribus bona stabilia alicui Religioso concedere, nec ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam; et administratio eorumdem bonorum ad solos Officiales ad Superiorum nutum amovibiles pertineat. Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut supellex statui paupertatis quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam necessarii eis denegetur. Quod si quis aliter quicquam tenere deprehensus fuerit, is biennio activa, et passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suae regulae, et Ordinis constitutiones puniatur.

Cap. 3. Concedit omnibus Monasteriis, et domibus Regularium (exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, et Minorum de observantia) immobilia possidere, et si quod Monasterium eisdem fuerit spoliatum, omnia decernit illi reddenda. In omnibus vero Monasteriis possidentibus vel non possidentibus is tantum numerus constituatur, qui vel ex redditibus, vel ex eleemosynis commode possit sustentari, nec de caetero

similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.

Cap. 4. Prohibet ne quis Regularium sine sui Superioris licentia, praedicationis, vel lectionis, aut cujusvis pii operis praetextu, subjiciat se obsequio alicujus Praelati, Principis, Universitatis, Communitatis, aut alterius cujuscumque personae, seu loci, neque ei aliquod privilegium super iis obtentum suffragetur, alias tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint; et si quis absque praedicto mandato in scriptis repertus fuerit, ab Ordinariis tamquam desertor sui Instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

Cap. 6. Praecipit electiones Superiorum faciendas esse per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur: neque fas esse Provinciales, Abbates, aut Priores Titulares ad effectum electionis faciendae constituere, aut voces et suffragia absentium supplere, alioquin electio irrita sit, et electus ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat; ideoque facultates super his concessas abrogat, et si quae in posterum aliae concedantur, eas subreptitias declarat.

Cap. 8. Decernit, ut Monasteria omnia, quae generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, sed sub immediata Sedis Apostolicae protectione, ac directione regi consueverunt, teneantnr infra annum a fine Concilii, et deinde quolibet triennio sese in Congregationes redigere juxta formam Constitutionis Innocentii III. ibique certas regulares

personas deputare, quae de modo, et ordine de praedictis Congregationibus erigendis, ac statutis in eis exequendis deliberent. Quod si in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, eos pro dictis causis convocare. Quod si infra limites unius Provinciae non sit sufficiens talium Monasteriorum numerus ad erigendam Congregationem, possint duarum, vel trium Provinciarum Monasteria unam facere Congregationem. Ipsis autem Congregationibus constitutis, illarum Generalia Capitula, et ab illis electi Praesides, vel Visitatores eamdem habeant auctoritatem in suae Congregationis Monasteria, ac regulares in eis commorantes, quam alii Praesides, et Visitatores in caeteris habent Ordinibus, teneanturque frequenter visitare, illorum reformationi incumbere, et ea observare, quae in sacris Canonibus, et in hoc Concilio sunt decreta. Quod si etiam Metropolitano instante, praedicta exequi non curaverint, Episcopis Dioecesanis, tamquam Sedis Apostolicae Delegatis, subdantur.

Cap. 11. Praescribit curam animarum in Ecclesiis Monialium, et Regularium existentem, atque etiam eamdem exercentes, licet Regulares, subesse immediate in iis, quae dictam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi; nec ibi aliquos etiam ad nutum amovibiles deputari, nisi de ejusdem consensu, ac praevio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo. Excipiuntur Monasterium Cluniacense cum suis limitibus, et Monasteria, seu loca, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, aut ea in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, et

temporalem in parochos, et parochianos exercent, salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in praedicta loca, vel personas jurisdictionem exercent.

Cap. 12. Decernit, ut censurae, interdicta, et dies festi ab Episcopis promulgati publicentur atque serventur etiam in Ecclesiis exemptis, et Regularibus.

Cap. 13. Tribuit Episcopis facultatem componendi controversias omnes de praecedentia inter Ecclesiasticas personas tam saeculares, quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in tumulandis defunctorum corporibus, et in deferenda umbella, et aliis similibus, amota omni appellatione, et non obstantibus, etc. Deinde decernit, ut omnes tam Clerici saeculares, quam regulares, licet exempti, et etiam Monachi ad publicas processiones vocati accedere teneantur, iis tamen exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt.

Cap. 14. Mandat, ut Regularis Episcopo non subditus, qui extra clausuram ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, intra tempus ab ipso praefigendum severe puniatur a suo Superiore, qui de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minus a suo officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit.

Cap. 15. Jubet, ne professio Regularium fiat ante decimum sextum annum expletum, et antequam probationis curriculum per annum post susceptum habitum expleatur, alioquin professio sit nulla.

Cap. 16. Mandat, ne ulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causae piae valeat, nisi de licentia Episcopi fiat intra duos menses proximos

ante professionem ; et nisi secuta professione effectum suum sortiatur. Finito tempore Novitiatus, Superiores, quos habiles invenerint novitios ad profitendum admittant, inhabiles vero e monasterio ejiciant. Neque ante professionem, excepto victu, et vestitu novitii, a Parentibus, vel Curatoribus aliquid ex bonis ejusdem, quocumque praetextu, monasterio tribuatur sub anathematis poena dantibus, et recipientibus. Denique abeuntibus novitiis ante professionem omnia restituantur, quae sua erant, quod ut recte fiat, Episcopus etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

Cap. 19. Decernit, ut quicumque Regularis praetendens professionem quacumque de causa irritam facere, non audiatur nisi intra quinquennium a die professionis, et tunc non aliter nisi causas deduxerit coram Superiore suo, et Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tamquam apostata puniatur, interim vero nullo privilegio suae Religionis juvetur. Nemo etiam Regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum suae Religionis.

Cap. 20. Praescribit, ut Capita Ordinum Episcopis non subjectorum, suo quisque loco et ordine, ex officio visitent monasteria, etiamsi commendata, sibi subdita, quae tamen non comprehenduntur in iis, quae alias de visitatione monasteriorum commendatorum definita sunt; et monasteriorum praesides teneantur Visitatorum ordinationes exequi. Ipsa quoque monasteria, quae sunt Ordinum Capita, juxta Sanctae Sedis Apostolicae, et cujusvis

Ordinis constitutiones visitentur. Perdurantibus vero commendis, Priores, ac Superiores Claustrales a Capitulis Generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur. In caeteris omnibus praefatorum Ordinum privilegia, et facultates, quae ipsorum personas, et loca, et jura concernunt, firma sint, et illaesa; quinimmo, ut declaratur cap. 22. et ultimo, Sancta Synodus, si qui sint Regulares, qui sub arctiori regula, vel statutis vivunt, eos ab eorum instituto et observantia amovere non intendit.

DE EADEM REFORMATIONE DECRETA CLEMENTIS VIII.

II. Clemens VIII. die 25. Junii 1599. pro Regularium reformatione sequentia edidit decreta.

1. Nullus omnino, praetextu cujuscumque privilegii, vel Superioritatis, etiam Generalatus, a servitio Chori conseatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, et Praedicatoribus, Superiores iis tantum diebus, quibus eos legere, aut praedicare contigerit, dispensare possint; idem quoque praestare valeant cum aegrotis, et studiorum causa legitime impeditis. Negligentes vero, aut inobedientes a Superioribus salutari poenitentia ad praescriptum Regulae et Constitutionum puniantur.

2. Lectio Sacrae Scripturae, vel Casuum conscientiae bis in hebdomada praescriptis diebus in singulis Conventibus habeatur, circa quam Fratres mutuo conferant.

3. Nullus, etiamsi Superior, bona immobilia vel mobilia, pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, si-

ve pro Missis celebrandis, aliove justo labore, et causa acquirantur, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tam proprio, quam etiam nomine Conventus possidere possit; sed ea omnia statim Superiori tradantur, et Conventui incorporentur, quo communis inde victus, et vestitus omnibus suppeditari valeat.

4. Nullis Superioribus liceat alicui Regulari bona stabilia etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam, etiam depositi aut custodiae nomine ooncedere.

5. Rerum vero ad necessitatem concessarum nullus quicquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur.

6. Qui in praemissorum aliquo deliquerit, poenas nedum a Concilio Tridentino praescriptas, sed alias quoque multo graviores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

7. Nulla dispensatio, aut nulla licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia, Fratres excusare possit, quo minus culpae et poenis impositis obnoxii sint, etiamsi Superiores asseverent hujusmodi dispensationes et licentias concedere posse, quibus in ea re fides minime adhibenda est.

8. Fratrum vestitus, et supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, et tam in Fratribus, quam in quibuscumque Superioribus omnino uniformis sit, ac desponsae paupertati conveniat, ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam necessarii alicui denegetur.

9. Quaecumque Fratrum vestes, sive laneae, sive lineae, omnisque alia supellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur; ibique ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri deputa-

tis diligenter custodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint.

10. Omnes, etiam Superiores, quicumquc illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio in communi mensa vescantur; nec singulare aliquid privatim habeant, sub poena nihil alimenti ea die percipiendi, nisi panem et aquam.

11. Superiores omnes, etiam Generales, qui redditus peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta et expensa in libro distincto diligenter adnotari curent, neque in alios usus, quam ratione officii sui necessarios, quicquam expendant. Cum vero contigerit ipsos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniae quantitatem in commune conferant, ex qua sibi suisque sociis victus, ad praescriptum Regulae et Constitutionum suppeditetur.

12. Nullus ex Superioribus localibus administrationem bonorum et reddituum sui Conventus per se ipsum habere valeat. Sed hujusmodi onus a Generali tribus Fratribus ejusdem Conventus ita demandetur, ut unus rerum, bonorum, reddituum colligendorum et exigendorum curam habeat; alter, tamquam Depositarius, pecunias ac caetera collecta et exacta fideliter asservet; alius denique res necessarias Conventui universo, mandante tamen ipso Superiore, distribuat atque provideat, officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta.

13. Hi tres singulis mensibus suo Superiori, et deinde Generali cum advenerit, adhibitis etiam duobus vel tribus Fratribus ejusdem Conventus peritioribus, tam impensi quam accepti rationem reddant. Ipsemet vero Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali coram tribus Judicibus ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, universam suae admi-

nistrationis tam publicae quam privatae rationem reddere teneatur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ut ad omne mandatum Sedis Apostolicae, Romam transmitti possit.

14. In unoquoque Conventu is tantum Fratrum numerus in posterum constituatur ac retineatur, qui commode possit sustentari. Redditus vero, et supradicta omnia in tuto ac communi loco asserventur.

15. Nullis Superioribus liceat Concilii Tridentini, et haec decreta declarare, interpretari aut relaxare, sub poena privationis omnium graduum, officiorumque, ac perpetuae ad ea inhabilitatis, ipso facto incurrenda.

16. Nullus, nisi actu legat vel praedicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat.

17. Si alicui ex necessaria causa, Generalis judicio probanda, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus sit, is vigesimum quintum agat annum, et communi servitio sit deputatus; et, si commode fieri potest, sit laicus conversus.

18. Conventus clausura perpetuo ac diligenter servetur. Propterea a Superiore Janitor constituatur, qui diligentia, et morum integritate commendabilis, januae custodiendae semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium et exeundi licentiam obtinuerit.

19. Nullus e Conventu egredi audeat, nisi ex causa, et cum socio, ac benedictione, licentiaque singulis vicibus a Superiore accepta. Qui eam non nisi causa probata concedat, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli omnino concedantur.

20. Contravenientes, poena gravi, etiam car-

ceris, ad Superioris arbitrium plectantur. Eamdem etiam Janitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

21. Revertens autem in Conventum, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus; qui a socio itineris rationem, et quid rei actum sit, diligenter perquirat.

22. Superiores nullum Fratrem absque licentia a Generali vel Protectore in scriptis obtenta, Romam petere permittant.

23. Idque sub poena privationis vocis activae et passivae per biennium, aliarumque poenarum Superioris arbitratu, etiam adversus illos qui eosdem receperint.

24. Habeat Superior clavem qua valeat cellas omnes reserare; ac propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper a Superiore possit aperiri.

25. In medio Dormitorii per totam noctem lampas colluceat.

26. Nullus, etiam Superior, cellas a communi Dormitorio separatas habeat; sed unusquisque unica cella cum caeteris aliorum Fratrum conjuncta nudis parietibus, humili lecto, mensula, et supellectili uniformi, Religiosisque decenti contentus sit. Possit tamen Generalis alicui ex Superioribus, officii necessitate exigente, alteram etiam concedere.

27. Cellae extra dormitorium positae ad communem usum et Conventus commoditatem redigantur.

28. Lectus formam omnes eamdem habeant; et in suo quisque lecto, sigillatim cubent, non autem duo in eodem.

29. In privatis cellis nulli camini permittan-

tur; sed omnes obstruantur perpetuo, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Praedicatoris exceptis.

30. Conventus fenestrae omnes, quae in vias publicas, aut in vicinas laicorum aedes prospiciunt, muro ita obstruantur, ut omnino is prospectus impediatur.

31. Valetudinarium in singulis Conventibus commodiori, ac salubriori loco juxta Fratrum numerum constituatur, in quo hi cum aegrotabunt, curentur; nec inde nisi recuperata sanitate abire permittantur. Qui vero infirmorum curae praepositi sunt, omni sedulitate ac charitate operam suam praestabunt; ac curabunt ne quid aegrotis omnino desit, quod ad salutem recuperandam pertineat.

32. Degentes extra Conventum, ad eum quamprimum revocentur, sublatis licentiis ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis; nec de caetero nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica probanda, hujusmodi facultates concedi possint.

33. Nullus in posterum ad habitum aut professionem admittatur, nisi in Conventibus, per Sedem Apostolicam in qualibet Provincia deputandis.

34. Curent Superiores, ut Constitutio interdicens largitiones munerum, et praescribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter observetur.

35. Caveant omnes a directa vel indirecta vocum seu suffragiorum in Capitulis procuratione, tam pro se ipsis quam pro aliis, sub poena privationis officiorum, et perpetuae ad ea inhabilitatis ipso facto incurrenda, et Romano Pontifici reservata, praeter alias poenas et censuras hactenus contra hujusmodi ambientes inflictas; quae omnes

poenae ad complices, ac simpliciter scientes, et non revelantes, extenduntur.

36. In Superiorum, et Officialium omnium electionibus forma praescripta a Sacro Concilio Tridentino et Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servetur, jurentque Electores se probiores, ac magis idoneos electuros, ideoque ante electionem perlegantur Constitutiones de qualitate, et requisitis eligendorum. Ad Officia et Praelaturas illi praecipue eligantur, qui possint, et consueverint Regulas Ordinis et Constitutiones observare, praesertim quae pertinent ad servitium chori, vestitum, et victum communem.

37. Eligantur in Capitulo Generali vel Provinciali aliquot graves et periti ex Fratribus cujuslibet Provinciae, saltem tres, qui dimittendos ad praedicationem Verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos antequam probentur, diligenter simul examinent; nec non promovendos ad quoscumque Ordines, in quo servetur Decretum Sacrae Congregationis Concilii, jussu ejusdem Clementis VIII. die 15. Martii 1596. editum, et postea confirmatum a Benedicto XIII. per suam Constitutionem sub die 23. Septembris 1724. incipientem « In Supremo », in quibus jubetur, ut Superiores suis Regularibus subditis litteras dimissoriales non concedant nisi ad Episcopum Dioecesanum; excepto casu, quod is abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, quae tamen causae in litteris dimissorialibus sunt exprimendae.

38. Superiores omni studio invigilent, ut quae in eorumdem Ordinum Regulis et Constitutionibus, praesertim de oratione mentali, silentio, jejuniis, capitulo culparum, aliisque spiritualibus

exercitiis sancita sunt ad unguem observentur ; ideoque curent ut in quolibet Conventu singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regularique observantia.

39. Appendatur tabella in loco conspicuo uniuscujusque Conventus, in qua distincte adnotetur quid singulis horis cujusque diei quilibet Frater praestare debeat. Denique inviolate observentur Ordinis Constitutiones, quae his Decretis non adversantur.

40. Quibus horum Decretorum capitibus certa poena praescripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Praescribitur etiam, ut haec Decreta inter alias eorumdem Ordinum Constitutiones perpetuo valituras redigantur, penitus interdicta Generalibus, aliisque quibuscumque Superioribus facultate eadem declarandi vel relaxandi, sub poena privationis officiorum, ac perpetuae ad ea inhabilitatis ipso facto incurrenda.

41. Omnibus denique Generalibus indicitur, ut haec Decreta in singulis Conventibus infra tempus praescriptum publicari faciant.

EXTENSIO FACULTATIS QUA ETIAM PROVINCIALIS VALEAT LICENTIAM CONCEDERE ROMAM PETENDI

III. Idem Clemens VIII. per suum Decretum die 20. Martii 1601. quod incipit « Decretum illud » decernit etiam ad Provincialem extendi facultatem concedendi suis subditis licentiam qua valeant Romam petere.

SUPER CASUUM RESERVATIONE

IV. Clemens VIII. per suum Decretum sub die 26. Maii 1593. incipiens « Sanctissimus Dominus »

decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quae sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverint.

1. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

2. Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento sed egrediendo extra septa Monasterii noctu, ac furtive, etiam non animo apostatandi.

3. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.

4. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non sequuto.

5. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii. Furtum de rebus Monasterii in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

6. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

7. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujusque personae.

8. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate reservandum videatur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione, et consensu.

Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet sponte id petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos,

tres, aut plures Confessarios doctos, prudentes, et charitate praeditos, quibus etiam reservatorum absolutio committatur, si id expedire Superiores ipsi judicaverint.

Tam Superiores, quam Confessarii ad Superioritatis gradum postea promoti, caveant diligentissime, ne peccatorum notitia in confessione habita, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, a Confessariis imponendas, quae subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita etc. non obstantibus etc.

Deinceps idem Summus Pontifex declaravit, quod si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice poenitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere.

INSTITUTIONES ET DECRETA SUPER RECEPTIONE, ET EDUCATIONE NOVITIORUM.

V. Idem Clemens VIII. per suum Decretum sub die 19. Martii 1603. incipiens «Cum ad Regularem» praecepit, ut in recipiendis Novitiis, et eorum educatione, nec non in Magistri, aliorumque ministrorum electione, praeter alia, quae in Sacris Canonibus, Decretis Concilii Tridentini, ac Pontificiis, et cujusvis Instituti Constitutionibus continentur, sequentia quoque sint inviolate observanda.

1. Ultra diligentem perquisitionem de natalibus, corporis habitudine, moribus, et vita anteacta uniuscujusque Novitii, ac praecipue, quando

aetatis suae sextum decimum annum excedat, an criminosus, an aere alieno gravatus, vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius sit, juxta formam Constitutionis Sixti V. et moderationum subsecutarum; illud etiam Superiores sedulo perquirant, ut in Monasteriis pro Novitiatu ex Apostolica facultate designatis, ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui ex honestis parentibus natus non sit, et conditiones a Sacris Canonibus, Summorumque Pontificum Constitutionibus praescriptas non habeat.

2. Quisque recipiendus in ea sit aetate constitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta, et ordinationes requirunt, eamque litterarum scientiam calleat, aut illius adipiscendae spem indubiam praeseferat, ut minores, et suis temporibus majores Ordines suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimum quintum excedens habitum regularem postulaverit, et sit eruditionis expers, in Conversorum tantum numerum referatur. Conversi vero non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum, et nisi saltem praecipua Doctrinae Christianae capita noverint.

3. Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente ac voluntate id regularis vitae genus elegerint, num perfectioris vitae studio, ut Deo liberius famulentur; an potius levitate, vel humano aliquo affectu; et an eorum parentes ope et subsidio ipsorum indigeant.

4. Provideant quoque, ut omnes etiam Conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, de regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statu regulari, aliisque peculiaribus cujusvis Ordinis constitutionibus diligenter instruantur. Circa vero Oblatorum recep-

tionem unaquaeque Religio suas peculiares constitutiones observare teneatur.

5. Novitii statim ac recepti ad habitum fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactae vitae conscientiam expurgent.

6. Novitiatus ab ea Monasterii parte, in qua degunt professi, segregatus sit propria clausura ; habeatque tot pro Novitiorum numero cellulas separatas, vel dormitorium tot pro singulis lectulorum capax; in quo etiam cellula, vel determinatus locus pro Magistro, ejusque socio reperiatur.

7. In eo adsit locus aptus ad spirituales conferentias ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, et in quem, hyemis tempore, ad calefaciendum se igne communi recipiant,

8. Oratorium insuper, seu Cappella ad Novitios in spiritualibus, praesertim in caeremoniis, Ecclesiasticisque functionibus exercendos,

9. Hortus quoque ad honestam recreationem bene conclusus. Sin minus, hortum communem ingrediantur; quo tempore curabit Magister, cum loci Superioris auctoritate, ne ad eumdem quisquam alius accedat.

10. Ad Novitiatus locum nemini, licet Monasterii Officiali, ullo unquam tempore sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam Magistro, ejusque socio, ac etiam Conventus Superiori, socio tamen ex senioribus Monasterii Patribus semper assumpto.

11. Hujus loci clausurae clavis apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat, cum gravi tamen causa, alicui ingressum illuc permittere. Novitii vero neminem, nisi Magistro praesente, alloquantur.

12. Novitiorum Magistro, si opus fuerit, socius vita et moribus consimilis deputetur, qui in Novitiatus regimine immediate Magistro subjectus existat; eliganturque, tam Magister quam Socius, a Provinciali Capitulo, saltem per triennium hujusmodi onus subituri. Extra tempus capitulare, electio ad Generalem vel Provincialem aut Visitatores pertineat, de Definitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu.

13. Novitiorum Magister, ejusque Socius ab omnibus Officiis vacent, quae Novitiorum regimen impedire valerent. Ipse Magister in Sacerdotali Ordine, et quinto saltem supra trigesimum aetatis suae anno sit constitutus; et per decennium a professione emissa, in Religione perstiterit; Socius vero trigesimum annum excedat. Sint ambo doctrina, vitaeque anteactae exemplo praestantes, orationis, et mortificationis operibus addicti; prudentia, charitate, affabilitate, zelo Dei cum mansuetudine referti; ab omni animi perturbatione, irae praesertim et indignationis, quae charitatem erga alios impedire consueverunt, alieni; ac demum bonorum operum exemplar praebentes, ut eorum curae subjecti illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quidquam possint.

14. Habeat etiam Magister plenam et absolutam potestatem circa Novitiorum institutionem, et Novitiatus regimen; ita ut in illis nemini, exceptis Visitatoribus, ac Superioribus majoribus, vel etiam localibus, quovis colore se ingerere liceat.

15. Curam adhibeat diligentem, ut Novitii in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque divinae vocationis excellentiam; quae vera sit, perfecta, et necessaria votorum solemnium, et

sui Ordinis Constitutionum observantia; nec non modum in oratione tum vocali, tum mentali fructuose persistendi; illicitas passiones, et vitia cohibendi per sensuum custodiam et mortificationem, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis praesertim bis saltem singulis mensibus peragendae, per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis, et tentationum, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

16. Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali et vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem, et ordinem a Magistro sibi praescriptum, ac pluries in die propriam conscientiam examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli, Novitiorum confessiones audiendi cura committitur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputatum, semel aut bis in anno, eorumdem Novitiorum confessiones audire.

17. Quotidie Missae Sacrificio intersint, et statutis horis, in Choro, nocturnis diurnisque divinis officiis assistant.

18. Exercitationibus etiam corporalibus vacent; legant, vel scribant res spirituales; modestam animi recreationem interponant, quae in solitario loco, et commodo extra Novitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur; fiatque semper Magistro praesente, vel socio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti; atque eo tempore cujusque, in quam natura feratur, propensionem inscrutentur.

19. Non liceat eis, durante Novitiatu, una cum Professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore Officiorum, in Processionibus, aut in Coenaculo causa refectionis commorari; nec permittatur eis Professos domo exeuntes comitari.

20. Pro necessitatibus quae accidere possunt, unus ex Novitiis ipsis, aetate, moribusque provectior deputetur, qui, absente Socio, omnia, prout opus fuerit, agat; cui etiam januae custodia, et rerum levioris momenti provisio intra Novitiatum committi poterit.

21. Conversis etiam, a Clericorum Novitiatu separatus ad dormiendum locus assignari praecipitur. Illi tamen Magistro Novitiorum, ac Conventuum Superioribus obedientiam praestare debebunt; a quibus non tantum circa corporalia obsequia probandi, et exercendi, verum etiam pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus, praesertim de mentali oratione, diligenter instruendi erunt. Ideoque ad capitula et spirituales conciones, quae per Magistrum Novitiis fieri solent, accersiri debeant, et in Ecclesiis statutis horis conveniant, nisi in suis officiis actualiter occupati fuerint.

22. Tempore probationis elapso, ii tantum ad professionem admittantur, qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti novo examine reperti fuerint, dummodo Clerici aetatis suae annum decimum sextum, Conversi vigesimum primum excesserint. Qui vero ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

23. Superior cujuslibet Monasterii Novitiatus, librum habeat, in quo uniuscujusque Novitii pro-

fessio registretur, illamque Novitius professus propria manu, et duo testes praesentes subscribant.

24. Conversus litterarum ignarus in eorumdem testium praesentia signum Crucis propria manu apponat, et custodiatur liber in Archivio, ubi scripturae ad Conventum pertinentes reponi consueverunt.

25. Ubi receptus est filiationis usus, liceat atque permittatur. Sed Novitii educandi erunt in Monasteriis designatis; ad quae transmittendi erunt cum testimonialibus litteris Superiorum eorum Conventuum, qui eos sibi in filios adscripserunt. Sic autem adscripti, eorumdem Monasteriorum nomine et instantia recipi ac in Novitiatu probari, et antequam ad Monasteria filiationis hujusmodi remittantur, in Professorio ad perfectionem exerceri debebunt.

26. Ne loca unius Monasterii ab alio praeoccupentur, Capituli Generalis aut Provincialis partes erunt numerum Religiosorum pro omnibus, eamque circa alimenta contribuenda rationem praescribere, quae magis expedire videbitur.

27. Novitii, ut melius in bono spiritu, et regulari observantia stabiliantur, statim post professionem emissam in Professorio collocentur, vel in eodem Conventu si commode ali queant, in loco tamen segregato a Novitiatu, vel in alio Monasterio in quo is locus cum requisitis ad Novitiatum supranarratis reperiatur.

28. Ab hoc illae Religiones excipiuntur, quae, suarum Constitutionum vigore, diutius novos professos intra Novitiatum detinent. Eis tamen, dictis Constitutionibus non obstantibus, permittitur, ut, si magis expedire judicaverint, Professorii loca habeant. In iis autem novi professi degant, sub re-

gulis et modo vivendi arctiori quam antiquiores professi, ita ut neque Monasteriorum negotiis se intromittere, neque communibus tractatibus interesse, neque alicujus exterioris obedientiae officium exercere debeant. Ibique permaneant usque ad aetatem Sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem, vel saltem per triennium post professionem ; quo tempore litterarum studiis opera ab ipsis navanda erit sub directione ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magistrum praeditum esse oportet.

29. Declaratur tamen quod propter praemissa non censeatur concessa licentia recipiendi Novitios nisi in locis designatis, aut in posterum designandis, et pro numero dumtaxat praescripto, et non aliter.

30. Denique si aut Superiores, aut alii in praedictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, vel quovis modo contrafecerint, officiorum omnium privationem, gravioresque pro modo admissae culpae poenas se subituros certo sciant.

DECRETA

DE REGULARIBUS APOSTATIS, ET EJECTIS.

VI. Sacra Congregatio Concilii, quam maxime cupiens Regularium ejectorum, et fugitivorum statui consulere, ex peculiari Urbani VIII. facultate, infrascripta decreta edidit.

1. Innovavit, confirmavitque decreta generalia Clementis VIII. de Regularium reformatione, ac Novitiorum receptione, professione atque institutione ; praecipiens, ut exacte observentur sub poenis statutis in eisdem Constitutionibus, a quibus tamen excepit decretum de Novitiis ad habitum

BIBLI
D PRA

non recipiendis nisi in Monasteriis designatis, vel in posterum designandis absque approbatione a Congregatione Reformationis Apostolicae, vel a propriis locorum Ordinariis expresse obtenta, a cujus Decreti observatione Regulares absolvit.

2. Statuit ne ullus de caetero permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi Superiori constiterit eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit; tumque Regularis recte se transferat ad arctiorem, de qua re Superior omni studio invigilet.

3. Ut Fugitivi, et Apostatae sive habitum regularem deferant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi; utque ipsi Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur, salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa decreto Concilii Tridentini cap. 3. sess. 6. *de Reformatione.*

4. Ne autem in posterum e Religionibus quispiam legitime professus ejici possit, nisi sit vere incorrigibilis, decrevit neminem incorrigibilem censendum esse, nisi, praeter ea omnia quae ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis et Constitutionibus cujusque Religionis et Ordinis, etiam a Sede Apostolica approbatis et confirmatis, unius insuper anni spatio, jejunio et poenitentia in carceribus fuerit probatus. Propterea unaquaeque Religio privatos habeat carceres in qualibet saltem Provincia. Elapso anno si non resipuerit, sed animo indurato in sua pervicacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tamquam pecus

morbidà, ac membrum putre ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum, de consilio et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis et Congregationibus Generalibus; tumque nonnisi instructo, secundum eorum stylum et constitutiones, processu, et plene probatis causis expulsionis, ad sacrorum Canonum praescriptum. Sic vero ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, et obedientiae subsint, proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Caeterum Sacra Congregatio Religionum Superiores serio admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut, memores paternae charitatis et mansuetudinis quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam ad extremum expulsionis remedium deveniant; idque eo magis quod Dominus Noster Jesus Christus de Praelatorum manibus sanguinem subditorum, qui eorum culpa perierunt, in supremo Dei Judicio sit requisiturus.

5. Praeterea statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

6. Ejecti sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

7. Postremo, auctoritate ut supra, innovat Constitutionem Gregorii IX. in *cap. final. extr. de Regul.* relatam, ac praeterea declarat in iis quoque servandam esse qui legitime expulsi fuerint, dummodo subsit spes evidens emendationis ex lit-

teris saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam oneravit. (In praefata Gregorii IX. Constitutione praecipitur, ut Abbates, aut Superiores teneantur, et obligari possint etiam sub censuris ad recipiendos fugitivos, et ejectos, qui tamen seipsos emendaverint.)

Denique mandat, ut haec diligenter observentur, et tam supradicta Clementis VIII. Decreta, quam praesentes Ordinationes bis saltem in anno legantur in publica Mensa, atque eadem violantes ipso facto poenam Apostolicae Sedi reservatam incurrant privationis omnium Officiorum, vocis activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, omni etiam Generalibus et Protectoribus illam moderandi seu relaxandi potestate penitus interdicta; ita ut irritum sit quidquid secus a quoquam actum extiterit.

Non obstantibus etc.

CONFIRMATIO ET MODERATIO ANTECEDENTIUM DECRETORUM DE REGULARIUM REFORMATIONE, DE APOSTATIS, EJECTIS ET EJICIENDIS.

VII. Sacra Congregatio super praemissis particulariter ab Innocentio XII. deputata, auctoritate ejusdem Summi Pontificis die 24. Julii 1694. haec servanda decrevit.

1. Firmis, ac in robore manentibus praedictis Sacrae Congregationis Concilii Decretis de Apostatis et Ejectis, declaravit, quod annus integer ad ejiciendos incorrigibiles praerequisitus ad sex tantum menses continuos coarctetur.

2. Quod facultas expellendi extendatur etiam ad quoscumque Provinciales de consilio tamen et assensu sex graviorum ex propria Provincia Reli-

giosis in Capitulo Provinciali eligendis, et a Generali confirmandis, a quo etiam ejectionis sententia erit approbanda, salva semper Sanctae Sedis et Sacrae Congregationis Concilii, in casu recursus et appellationis, auctoritate.

3. Quod in posterum Processus conficiantur juxta Regulas, Constitutiones, Ordinationes, et stylum cujusque Ordinis, et Religionis, donec aliter fuerit a Sacra Congregatione provisum.

4. Postremo quia nimia sine delectu facilitas recipiendi quoscumque Religionis ingressum petentes, necessitatem parit eosdem e claustris ejiciendi, sub interminatione Divini judicii, nec non privationis vocis activae et passivae, ac Dignitatum, et Officiorum obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, quibuscumque Ordinum Superioribus districte praecipitur omnia et singula Clementis VIII. Decreta, una cum aliis subsequentibus decretis, provisionibus, ordinationibus, et respective moderationibus bis in anno legi, ad unguem servari, poenas in eisdem contentas innovari, et Capitulis Ordinum intimari.

* LETTERE CIRCOLARI

DELLA S. CONGREGAZIONE DELLA REGOLARE DISCIPLINA PER L'ITALIA, ED ISOLE ADJACENTI

SOPRA LA DOTTRINA CRISTIANA

VIII. *La S. Congregazione della Regolare Disciplina con lettera dei* 15 *Marzo* 1758, *espressamente approvata dalla S. M. di Benedetto XIV, rinnovando altre sue lettere dei* 9 *Novembre* 1709, *e dei* 20 *Febbrajo* 1739, *ordinò ai Superiori Generali di ammonire tutti i Provinciali d'Italia, ed Isole adjacenti sul debito del loro Officio invigilando, che i Su-*

periori locali adempiano esattamente l'obbligo intorno all' istruzione dei loro Conversi nella Dottrina Cristiana; e quindi prescrisse le seguenti cose:

1. *Che nel ricevere i Conversi alla Religione debbansi specialmente esaminare sulla Dottrina Cristiana secondo i Decreti di Clemente VIII,* de educatione Novitiorum; *e non trovandoli bastantemente ammaestrati in niun conto li ricevano.*

2. *Che in tutti i Conventi, senza esenzione per veruna scusa, si faccia in ciascuna Domenica, o altro giorno della settimana, che dal Superiore locale sarà stimato più opportuno, ai Laici professi, Terziarii, o Oblati, da un Padre, che egli giudicherà capace, spiegare la Dottrina Cristiana, il Catechismo, e qualche punto della Regola, che riguarda i doveri della vita Religiosa, specialmente sul voto di povertà.*

3. *Che in visita i Provinciali, o altri Visitatori debbano informarsi se i Superiori Locali facciano eseguire la spiegazione della Dottrina Cristiana, esaminando altresì i detti Laici; e trovando in essi dell' ignoranza, o non praticato con esattezza un tale esercizio, rigorosamente castighino ed essi, ed i Superiori locali, eziandio con privazione, e sospensione dall'Offizio; la stessa S. Congregazione, essendo avvisata, procederà contro i Superiori locali negligenti, con quei castighi, anche con privazione di voce attiva e passiva, che crederà convenevoli.*

4. *Vuole finalmente che la presente lettera si faccia leggere due volte l'anno in pubblico Refettorio di ciascun Convento, come si pratica di altri simili ordini.*

IX. *La stessa S. Congregazione stimolata dall'espresso comando di Clemente XIII. con sua lettera dei* 30 *Settembre* 1765 *confermando le surriferite lettere dei* 9 *Novembre* 1709, *dei* 20 *Febraro* 1739, *e dei* 15 *Marzo* 1758 *ordinò, che sia cura dei Superiori maggiori di prescrivere a tutti i Visitatori di Provincia, e Padri Provinciali di esigere nell'atto della visita dai Superiori locali una nota circostanziata del nome del Sacerdote da loro assegnato a fare detta spiegazione, dei giorni precisi in cui è stata fatta dentro l'anno, e del nome di tutti quei Religiosi Laici, Professi, Novizj, o Oblati, o Donati, o Terziarii, che vi sono di volta in volta intervenuti, o del castigo dato a quelli, che volontariamente avessero ricusato, o negligentato d'intervenirvi.*

Inoltre prescrive, che i Superiori locali costringano tutti i loro Famigliari Secolari Laici ad intervenire alla Dottrina Cristiana ed Istruzioni, che come sopra sono tenuti di far eseguire almeno una volta alla settimana ai loro Conversi, altrimenti incorreranno irremissibilmente nelle suddette pene di privazione e sospensione dall'Officio, di privazione di voce attiva, e passiva, ed altre maggiori ad arbitrio della stessa S. Congregazione.

Finalmente incarica la coscienza dei Superiori maggiori e Provinciali, affinchè questa sua disposizione sia in tutte le sue parti puntualmente eseguita, e vuole che la presente lettera unitamente alla sopra citata dei 15 *Marzo* 1758, *si faccia leggere da ciascheduno Superiore locale due volte all'anno in pubblico Refettorio di ciascun Convento, come si pratica per simili ordini.*

* DECRETO

CIRCA I DUE OFFICII INCOMPATIBILI,

PER L'ITALIA ED ISOLE ADJACENTI.

X. *La S. Congregazione della Regolare Disciplina con suo Decreto approvato da Pio VI. di S. M. comandò in virtù di S. Obbedienza a tutti i Superiori di ciascun Ordine, Congregazione, o Istituto, Generali, e Provinciali, ed a tutti gli Elettori nei Capitoli Generali, e Provinciali, ed in qualunque altro atto, ove tali elezioni separatamente, o unitamente sogliono farsi, che non presumano sotto qualunque pretesto di conferire ad un medesimo individuo due o più officii incompatibili.*

Che se contro tale Decreto elegeranno in qualunque modo in un medesimo atto, o in uno stesso giorno una medesima Persona a più officii incompatibili, tale elezione in totum, ipso facto, *sia nulla: se poi in diversi atti, ed in diversi tempi, allora il primo solo compartito sia valido, e gli altri tutti sieno nulli, come se non fossero stati mai conferiti.*

Inoltre riserva a se il diritto di assegnare le pene in tutti due gli enunciati casi tanto agli Elettori, quanto agli Eletti, che avranno accettato, o esercitato due, o più officii incompatibili, e vuole che il presente Decreto si faccia leggere dai Superiori locali pubblicamente ogni anno in ciascuna Casa del loro Ordine unitamente agli altri Decreti, e Costituzioni Apostoliche solite a leggersi.

* LETTERA

CIRCA LA LETTURA DEI DECRETI,

E COSTITUZIONI APOSTOLICHE.

XI. *La stessa S. Congregazione della Regolare Disciplina con lettera dei* 15 *Settembre* 1856, *raccomandando ai Superiori Generali e Provinciali di porre ogni loro cura, specialmente in occasione di visita, per assicurarsi, che non sia trascurata la lettera dei Decreti, e Costituzioni Apostoliche, e siano osservate le prescrizioni della Santa Sede, e dichiarare altresì incorsi nelle pene comminate que' Superiori locali che troveranno in difetto, comandò in virtù di S. Obbedienza, che in ogni anno nel respettivo Calendario per le Provincie d' Italia, ed Isole adjacenti nei mesi, e giorni determinati sia notate quali Costituzioni o Decreti si debbano leggere, affinchè nessuno possa allegarne ignoranza, benché inescusabile.*

DECRETA LEGENDA

MENSE MARTII

—

AD SUPREMAM INQUISITIONEM SPECTANTIA

CONTRA IMPEDIENTES INQUISITORES HAERETICAE PRAVITATIS, AUT IN EORUM CAUSIS SESE INGERENTES.

I. Julius III. s. m. per suam Constitutionem die 18. Martii 1551. editam, quae incipit « Licet a diversis » Suorum Praedecessorum exempla sequutus, omnibus saeculi Potestatibus, Dominis temporalibus, ac Provinciarum, Civitatum, Terrarum, et Locorum Rectoribus, nec non quibuscum-

que aliis saecularibus personis tam privatis, quam publicis, quovis munere fungentibus praecipit, ne Dioecesanos Episcopos, et Inquisitores in suo Inquisitionis negotio ullo modo impediant, seu perturbent, neque se in haeresis crimine cognoscendo, vel judicando, quovis etiam assistentiae et favoris colore, causa, vel occasione (nisi quatenus ab ipsis Dioecesanis Episcopis, aut Inquisitoribus spontanea et libera eorum voluntate fuerint requisiti) se ingerant. Praeterea mandat, ut ordinationes, provisiones, et leges quascumque de ipsius criminis cognitione latas Sacris Canonibus obsistentes, et Ecclesiasticam Jurisdictionem impedientes, sine mora abrogent, et deleant; quas omnes idem Summus Pontifex invalidas, abrogatas, et deletas declarat, sub poena contra non obtemperantes privationis communione Fidelium, et omnium Ecclesiasticorum Sacramentorum perceptione, nec non caeterae maledictionis, execrationis, et majoris Excommunicationis, sibi, suisque Successoribus, praeter mortis discrimen reservatae.

Quibus etiam censuris ipsos Dioecesanos Episcopos, et Inquisitores subjecit, si laicos secus quomodocumque de ipso crimine cognoscere, aut judicare permiserint.

CONTRA OFFENDENTES REOS, ET PERSONAS S. OFFICII, NEC NON COMPLICES, ET FAUTORES.

II. S. Pius V. in sua Constitutione sub die prima Apr. 1569. « Si de protegendis », omnes de quibus infra, declarat laesae Majestatis reos, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocumque alio beneficio temporali et perpetuo privatos, saecularis Judicis arbitrio relictos, poenis in reos laesae Majestatis primo Legis capite inflictis puniendos, bonis

illorum rebusque omnibus Fisco insuper addictis, imo eorumdem filios paternae infamiae subjectos, omnis et cujuscumque haereditatis, successionis, donationis, et legati omnino expertes, ac perpetuo cuique dignitati assequendae inhabiles, scilicet:

1. Omnes et quoscumque privatos, sive cunctam Civitatem, sive Populum, sive Dominum, Comitem, Marchionem, Ducem, vel potiore titulo illustrem, qui ausi fuerint quempiam ex Inquisitoribus, Advocatis, Procuratoribus, Notariis, aliosve Ministros praedicti Officii, vel Episcopos id munus in sua Dioecesi, aut Provincia obeuntes, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem in causa Fidei productum, vel evocatum occidere, verberare, dejicere, seu perterrefacere.

2. Quive Ecclesias, aedes, aliasque res publicas, vel privatas S. Officii, ejusque Ministrorum expugnaverint, invaserint, incenderint, expilaverint, aut libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliave instrumenta sive publica, sive privata, ubicumque posita combusserint, diripuerint, seu interverterint, seu ex incendio aut direptione, aut alio quocumque modo illa exportaverint, seu qui hujusmodi flagitiis causam dederint, sive res aut personas servari, defendique prohibuerint.

3. Quive carcerem aut aliam custodiam publicam vel privatam effregerint, vinctum extraxerint, vel emiserint, capiendum prohibuerint, captumve eripuerint, receperint, occultaverint, seu facultatem effugiendi ei dederint vel dari jusserint; item qui ad haec perpetranda coetum concursmque fecerint, vel homines, auxilium, consilium, favorem publice, vel occulte praestiterint, licet nemo occisus, verberatus, extractus, emissus, ereptus,

nihil expugnatum, effractum, succensum, direptum, nullum denique damnum re ipsa sit secutum.

4. Nemo autem de hisce flagitiis expurgationem habere aut causam proponere vel praetendere possit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse.

5. Quod supra decretum est, de omnibus etiam Clericis, et Presbyteris saecularibus, et cujusvis Ordinis Regularibus, quacumque etiam Episcopali et majori dignitate praeditis, ac privilegio quomodocumque suffultis exequendum; ita ut Beneficiis et Officiis Ecclesiasticis privati, per Judicem Ecclesiasticum haereticorum more degradentur, demum Potestati saeculari traditi, poenis praedictis Laicorum instar subjiciantur.

6. Sibi tamen, suisque successoribus causas Episcoporum reservat.

7. Eos vero qui pro talibus veniam petere vel intercedere tentaverint, ipso facto eisdem subjicit poenis, quae in haereticorum fautores inferuntur.

8. Si quis autem, licet affinis, vel hujusmodi criminum conscius, rem adhuc incognitam detexerit, poenis liberatur.

9. Decernit absolutiones, habilitationes, et restitutiones ad famam, ad honores etc. nisi causis oblineantur aequis ac verificatis, nemini prodesse; neque huic Constitutioni derogationes valere, nisi fiant ejus tenore ad verbum inserto, et gratia ex certa Romani Pontificis scientia facta, et propria manu subsignata.

10. Postremo jubet universos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, et caeteros Ecclesiarum Praelatos, ut praesentem Constitutionem publicare, et quantum in ipsis est, firmiter observare faciant; contradictores quoscumque per

censuras etiam iteratis vicibus compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis.

Non obstantibus etc.

Denique Principes obtestatur, ut hisce tum exequendis, tum firmiter observandis omnimodum conferant auxilium.

INQUISITORIBUS CONCEDITUR FACULTAS PROCEDENDI CONTRA SACERDOTES IN ACTU, VEL PRAETEXTU CONFESSIONIS AD TURPIA SOLLICITANTES.

III. Pius Papa IV. s. m. per suam Constitutionem sub die 16. Aprilis 1561. incipientem « Cum sicut » Archiepiscopo Hispalensi in Regno Hispaniarum Inquisitori Generali committit, et mandat quatenus omnes, et singulos Sacerdotes dictorum Regnorum tam Saeculares, quam Regulares cujusvis Ordinis etiam exempti et Apostolicae Sedi immediate subjecti, quacumque dignitate, statu, gradu, ordine, conditione, et praeeminentia fulgentes, qui de sollicitatione ad turpia in actu et occasione confessionis fuerint diffamati, tam super praemissis, quam super Fide Catholica, et quid de ea sentiant diligenter inquirat; ac culpabiles repertos juxta excessorum suorum qualitatem puniat, atque etiam, debita praecedente degradatione, saecularis Judicis arbitrio puniendos tradat.

Non obstante quocumque privilegio etc.

CONFIRMATIO, ET AMPLIATIO PRAEDICTAE CONSTITUTIONIS.

IV. Gregorius Papa XV. per suam Constitutionem die 30. Augusti 1622. editam, quae incipit « Universi Dominici », praecedentem Pii IV. Con-

stitutionem confirmat, eamque ad quaslibet Christiani Orbis partes extendit.

2. Omnibus Inquisitoribus, et locorum Ordinariis tribuit facultatem procedendi, adhibita poena suspensionis ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, et Officiorum quorumcumque, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae et passivae, exilii, damnationis ad triremes et carceres etiam in perpetuum, et traditionis, pro delicti enormitate, Curiae saeculari, debita praecedente degradatione, contra omnes et singulos Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares, cujuscumque dignitatis, ordinis, praeeminentiae, ac instituti, licet quovis privilegio munitos, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione vel praetextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulata ibidem Confessionis auditione, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.

3. Et ne delictum tam enorme, tamque perniciosum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cum difficilis sit probationis, E^mis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus facultatem tribuit, testibus etiam singularibus, concurrentibus praesumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis; delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, et Curiae Saeculari reum tradendum esse pronunciandi. Non obstantibus etc.

4. Praeterea mandat omnibus Confessariis, ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes praedictos Inquisitoribus, et locorum Ordinariis; quod si Confessarii hoc officium praetermiserint, vel docuerint hujusmodi poenitentes ad denunciandum non teneri, ab Inquisitoribus, et locorum Ordinariis, puniantur.

INNOVATIO POENARUM CONTRA CONFESSARIOS AD TURPIA SOLLICITANTES, ET RESERVATIO ABSOLUTIONIS QUOAD CALUMNIATORES; ET DE NON ABSOLVENDIS COMPLICIBUS IN RE TURPI.

V. Benedictus XIV. f. r. per suam Constitutionem sub die prima Junii 1741. incipientem « Sacramentum Poenitentiae » confirmans Constitutionem Gregorii XV. et Decreta Sanctae Romanae Inquisitionis die 11. Februarii 1661. et alia sub die 24. Septembris 1665. mandante Alexandro VII. contra Confessarios sollicitantes edita, iterum omnibus Inquisitoribus, et locorum Ordinariis praecipit ut prorsus inquirant et procedant cum testibus etiam singularibus contra omnes et singulos Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares, licet quovis privilegio munitos, qui aliquem Poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut praetextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam tunc

aut post legendam tentaverint; aut illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus habuerint.

2. Praeterea omnibus et singulis Confessariis mandat, ut suos Poenitentes, quos noverint fuisse ut supra sollicitatos, sedulo moneant de obligatione denunciandi Personam sollicitantem, etiam si Sacerdos sit qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium et Poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Poenitens, sive non, consensum praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Insuper Confessariis praecipit ne hujusmodi Poenitentibus Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciatione confecta, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

Hujusmodi vero denunciatio peragenda est infra duodecim dies juxta consueta edicta Inquisitorum . . . vel infra mensem juxta edictum Romanae Inquisitionis.

3. Decernit postea, ut si quis audeat vel per se ipsum impie calumniando, vel sceleste procurando ut ab aliis id fiat, innoxios Sacerdotes, et Confessarios sollicitationis insimulare, nequeat absolvi a quocumque Sacerdote quovis privilegio munito, nisi in fine vitae, et excepto mortis articulo; quam absolvendi facultatem sibi, suisque Successoribus reservat.

4. Demum ad omnem turpitudinis occasionem, et Sacramentorum contemptum removendum districte prohibet sub poena excommunicationis majoris ipso facto incurrendae, ac sibi, suisque Successoribus reservatae, ne quis Confessarius,

quovis privilegio munitus, etiam tempore Jubilaei, et vigore Bullae Cruciatae, personam complicem in peccato turpi, atque inhonesto ab hujusmodi culpa absolvat. Alioquin absolutio nulla, atque irrita omnino sit, praeter casum extremae necessitatis, nimirum in mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, licet alias ad Confessiones excipiendas non approbato, ut postea idem Summus Pontifex in sua Constitutione sub die 8. Februarii 1745. incipiente « Apostolici muneris » declaravit. In hac etiam subjungit, quod si id fieri nequeat absque gravi infamia vel scandalo aut Poenitentis aut ejusdem Confessarii, tunc solummodo Sacerdos poterit Poenitentem complicem in mortis discrimine versantem absolvere. Verum serio animadvertat infamiae aut scandali periculum reapse coram Deo extare, imo sciat ipsum districte teneri ad hujusmodi pericula praevenienda et removenda, omnem adhibens industriam, ut sese eripiat, et absque scandalo et infamia alteri Sacerdoti approbato locum cedat; alioquin licet absolutio sit valida, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, nihilominus Sacerdos majorem excommunicationem in praedicta Constitutione latam incurrat, eodemque plane modo, qui ibidem decernitur.

DE NON EXQUIRENDO A POENITENTIBUS COMPLICUM NOMINE.

VI. Idem Benedictus XIV. in sua Constitutione sub die 2. Junii 1746. quae incipit « Ubi primum » confirmans alias ejusdem tenoris litteras in forma Brevis pro Portugalliae, et Algarbiorum Regnis die 7. Julii 1745. datas, decernit, ut in excommunicationem sibi, suisque successoribus, excepto mortis articulo, reservatam incidat ipso facto qui-

cumque praesumpserit impugnare, reprobare, aut in alienos sensus temere detorquere, docere, scribere, aut loqui contra ea omnia, quae sancita et decreta sunt in praefato Brevi, quod extendit etiam ad omnes et singulos Confessarios tam Saeculares, quam Regulares, quovis privilegio munitos. Quibus in virtute sanctae obedientiae, ac sub interminatione Divini judicii districte prohibet ne Poenitentem de nomine, loco habitationis, et aliis hujusmodi circumstantiis, ex quibus deveniri possit in cognitionem socii, vel sociorum, complicis, vel complicum in peccatis, quae confitetur, interrogent, eidem, si manifestare renuerit, Sacramentalem absolutionem denegare comminando. Alioquin ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus poenis snbjiciantur.

2. Praeterea Inquisitoribus tribuit facultatem contra eos Confessarios, qui in hoc deliquerint, vel contra eos omnes, licet quovis privilegio suffultos, qui praesentem Constitutionem impugnaverint, vel adversus eam loquuti fuerint, vel scripserint, procedendi suspensione ab officio audiendarum confessionum, vel ab executione Ordinum, privatione beneficiorum, dignitatum, ac vocis activae et passivae, et inhabilitate ad illa, aliisque poenis, in perpetuum vel ad tempus pro criminum qualitate, et circumstantiis.

3. Insuper decernit, ut quicumque alium quemlibet aliquo ex supradictis modis deliquisse cognoverint, eum, intra terminum dierum in Edictis Sancti Officii praefigi solitum, denunciare teneantur; alioquin poenas non denunciantibus per eadem Edicta infligi consuetas incurrant. Verumtamen ab onere denunciandi eximit poenitentes in

causa propria, idest in casu quod a Confessario adigantur ad complicem manifestandum, non tamen quando id noverint, aliunde quam ex propria confessione.

4. Quod si Confessarii de nomine complicis interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actus, quamvis imprudens et malus, simplex tamen et nudus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quae de prava credulitate, vel de mala adhaesione ad praxim in dicto Brevi reprobatam ipsum suspectum reddant, tunc istiusmodi delictum neque denunciationis oneri, neque Sancti Officii cognitioni subjectum erit. Sed de illo cognoscere et in delinquentem per suspensionem ab audiendis confessionibus, aliasque poenas pro delicti modo animadvertere ad locorum Ordinarios spectabit.

5. Jubet denique hac tantum regula in hujusmodi casibus esse procedendum. Hinc abrogat quidquid aliter statutum fuerit in Edictis S. Officii, Decretis, Pastoralibus litteris etc. non obstante etc. sublata etc. Clausula irritante etc.

JURISDICTIO INQUISITORUM PROCEDENDI CONTRA EOS, QUI AD PRESBYTERATUM NON PROMOTI MISSAS CELEBRANT, ET POENITENTIAE SACRAMENTUM MINISTRANT.

VII. Gregorius XIII. s. m. per suam Constitutionem die 6. Augusti 1574. editam, ac incipientem « Officii nostri » declaravit, quod etiam ad Inquisitores S. Officii pertineat adversus eos scelestos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire, qui in Presbyteratus Ordine non constituti Missas celebrare, Confessiones audire, et absolutionem impertiri ausi fuerint.

Et ita ab omnibus et singulis Judicibus judi-

cari, et definiri debere, sublata eis quavis alia judicandi, et interpretandi facultate; irritando etc. non obstantibus etc.

DE TRADENDIS CURIAE SAECULARI IIS, QUI AD PRESBYTERATUS ORDINEM NON PROMOTI MISSAS CELEBRANT, ET POENITENTIAE SACRAMENTUM MINISTRANT.

VIII. Clemens VIII. s. m. per suam Constitutionem die 1. Decembris 1601. editam, quae incipit « Etsi alias » innovans, atque confirmans Decreta Summorum Pontificum Pauli IV. et Sixti V. decernit ac mandat, ut ab Inquisitoribus, et locorum Ordinariis ii degradentur ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerint, et postea Curiae Saeculari tradantur, qui ad Presbyteratum minime promoti audent Missarum celebrationem peragere, et Sacramentalem Confessionem audire. Non obstantib. etc.

AMPLIATIO PRAECEDENTIS CONSTITUTIONIS.

IX. Urbanus VIII. per suam Constitutionem sub die 23. Martii 1628. quae incipit « Apostolatus Officium » praefatam Clementis VIII. Constitutionem extendit ad omnes etiam minores vigintiquinque annis, dummodo vigesimum aetatis annum compleverint; et hinc decernit, ut ii quoque sive Laici, sive Clerici Saeculares, sive Regulares cujuscumque Ordinis, ac quovis privilegio suffulti, nec non quarumcumque Militiarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani fuerint, qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti Missarum celebrationem peragere, aut sacramentalem Confessionem audire praesumpserint, Curiae Saeculari, praevia degradatione, tradantur.

Atque ita a quocumque Judice sit judicandum, sublata etc. irritando etc. non obstantibus etc.

CONFIRMATIO, ET AMPLIATIO SUPRADICTAE CONSTITUTIONIS.

X. Benedictus XIV. in sua Constitutione die 20. Aprilis 1744. edita, quae incipit « Sacerdos in aeternum » confirmans praecedentes Sixti V. Clementis VIII. et Urbani VIII. Constitutiones, declarat, quod licet probationes de hujusmodi criminibus non satis plenae fuerint ad effectum infligendi poenas juxta praefatas Constitutiones, nihilominus satis relevantes judicari debeant, ut reus tormentis subjiciatur ad eliciendam veritatem. Insuper decernit, ut licet reus non modo unam Missam, sed etiam unius Missae partem celebraverit dummodo elevationem utriusque speciei peregerit, quamvis de prolatione formae consecrationis non constet, easdem tamen poenas incurrat; quibus pariter suhjiciendus est quisque etiam pro prima vice Confessiones audire, et absolutionem poenitentibus impertiri praesumat; alioquin contra eos, a quibus vel neque absolutio prolata, vel neque in Missa elevatio peracta fuit, ad mitiorem poenam deveniatur. Hinc nonnullas ibidem regulas praebet tum ad hujusmodi cognoscenda et judicanda crimina, tum ad exceptiones Defensorum eliminandas.

CONTRA EXERCENTES ARTEM ASTROLOGIAE JUDICIARIAE, ET ALIA QUAECUMQUE DIVINATIONUM GENERA, LIBROSQUE LEGENTES VEL TENENTES.

XI. Sixtus V. f. r. in sua Constitutione sub die 5. Januarii 1585. quae incipit « Coeli, et Terrae Creator » decernit, ut tam Episcopi, et Praelati, Superiores, ac alii Ordinarii locorum, quam Inquisitores ubique gentium diligentius inquirant, et procedant, atque severius Canonicas poenas, et alias eorum arbitrio animadvertant in Astrologos,

Mathematicos, et alios quoscumque judiciariae Astrologiae artem exercentes, aut observantes nativitates hominum, ex quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamsi id se non certe affirmare asserant, aut protestentur; nec non in alios utriusque sexus, qui vanas, fallaces, et perniciosas divinandi artes, sive scientias exercent, profitentur, et docent, aut discunt, quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, et alia hujuscemodi detestanda scelera faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt. Quinimo singillatim ii nominantur contra quos erit procedendum, idest:

1. Contra eos, qui ex motu siderum, et astrorum cursu metiuntur ac judicant futura, vel etiam praesentia, et praeterita occulta, sive ex puerorum ortu, et natali die, vel quavis alia temporum et momentorum vanissima observatione de cujusvis hominis statu, conditione, vitae cursu, honoribus, divitiis, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, caedibus, aliisque prosperis vel adversis casibus praecognoscere, judicare, et affirmare praesumunt.

2. Contra eos, qui divinandi causa dant operam *Geomantiae,* idest observationi signorum, punctorumque in petris, lignis, chartis, aliisque similibus rebus apparentium; *Hydromantiae,* idest observationi signorum, quae in aqua apparent: *Aeromantiae,* idest signis in aere; *Pyromantiae,* idest signis in igne; *Onomantiae,* idest somniis; *Chiromantiae,* idest signis ac lineis, quae patent per manus; *Necromantiae,* idest cum faciant mortuos per speciem se ostendere, loqui, et docere,

et alia hujusmodi sortilegia, superstitionesque non sine daemonum saltem tacita pactione. Ita etiam contra eos, qui ab illicitis taxillorum, granorum triticeorum, aut fabarum sortibus et jactu, vel qui ab Auguriis sumptis e cantu, volatu, ac praecordiis animalium divinare non verentur.

3. Contra eos multo magis, qui ad occultorum divinationem, ad inveniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expressa cum diabolo pactione facta, nefarias magicae artis incantationes, instrumenta, et veneficia adhibent, circulos, et diabolicos characteres describunt, daemones invocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt aut accipiunt, eis preces, et thuris aut aliarum rerum fumigationes, aliave sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus sacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quaevis alia impietatis obsequia, cultum, venerationemve tribuunt, aut annulum vel speculum, aut parvas phyalas sibi fabricant aut fabricari curant ad daemones in eis alligandos, ut putant, ad responsa ab ipsis inde petenda aut habenda. Ita etiam contra eos, qui in corporibus obsessis aut lymphaticis, et phantasticis mulieribus daemones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt; vel qui sub nomine Angeli Sancti et Albi diabolum adorantes in phyalis, seu vasculis vitreis aqua plenis, seu in speculo accensis candelis, etiam benedictis, seu in unguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eumdem orant, ut futura seu occulta quaevis per spectra, apparentes imagines et phantasticas visiones sibi ostendat; aut ab eodem aliis incantationibus, seu variis superstitionis observationibus futurorum, et occultorum hujusmodi veritatem quae-

runt, ex quo fit, ut delusi reperiantur, et Divina Majestas graviter laedatur.

4. Denique prohibet (salvis observationibus naturalibus pro fovenda agricultura, navigatione aut arte medica conscriptis,) omnes et singulos libros, opera, tractatus, in quibus hujusmodi artes, et scientiae, sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes, ac superstitiones continentur, sub censuris et poenis, contra quemlibet eos legentem aut retinentem, quae in Indice librorum prohibitorum infliguntur, ita ut Inquisitores libere et licite valeant procedere, et poenis condignis delinquentes punire.

Non obstantibus etc. praecipiens omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum Ordinariis, Praelatis, et Inquisitoribus, ut praesentes litteras, postquam eas receperint, deinde vero semel in anno, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

CONFIRMATIO PRAECEDENTIS CONSTITUTIONIS, ET POENARUM INFLICTIO CONTRA ASTROLOGOS IUDICIARIOS DE STATU REIPUBLICAE CHRISTIANAE, VEL SEDIS APOSTOLICAE, SEU VITA ROMANI PONTIFICIS, EJUSQUE CONSANGUINEORUM JUDICIA FACIENTES, NEC NON EOSDEM DESUPER CONSULENTES.

XII. Urbanus VIII. s. m. in sua Constitutione sub die 8. Aprilis 1631. innovans, et confirmans antecedentem Sixti V. Constitutionem prohibet omnibus Laicis cujuscumque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, et dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis, nec non Clericis, Presbyteris, aliisque Personis Ecclesiasticis tam Saecula-

ribus, quam Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu Instituti, vel Militiarum quarumcumque, etiam S. Joannis Hierosolymitani, licet exemptis, vel quovis privilegio munitis, ne audeant de statu Reipublicae Christianae, vel Sedis Apostolicae, sive de vita, aut morte Romani Pontificis, ac ejus usque ad tertium gradum inclusive consanguineorum, judicia, prognostica, seu praecognitiones, et praedictiones facere, etiamsi id non certo se affirmare protestentur. Ita vetuit etiam super praemissis interrogare, aut consulere Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatores, aliosve Astrologiam Judiciariam exercentes, aut quomodolibet profitentes, nec non eorum judicia retinere vel alicui dare, seu ostendere, aut de eis quovis modo sive scriptis, sive verbis tractare. Contravenientibus vero infliguntur poenae excommunicationis majoris latae sententiae, ultimi suplicii tamquam laesae majestatis reis, confiscationis omnium bonorum, etiam Romanae Curiae Officiorum, ac devolutionis quarumcumque Civitatum, Castrorum, et locorum judictionalium et feudalium. Quoad Ecclesiasticas vero personas additur poena privationis beneficiorum, dignitatum, officiorumque Ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum, Priorатuum, etc. ac aliorum quorumcumque, et inhabilitatis perpetuae ad illa obtinenda, atque traditionis Curiae Saeculari, praevia degradatione; contra Episcopos autem, Archiepiscopos, Metropolitas, Primates, Patriarchas, aut in alia Superiori Ecclesiastica, vel mundana quantumvis sublimi, excellente, speciali ac suprema Dignitate constitutos, ejusdem excommunicationis, privationis, ac inhabilitatis poena infligitur ipso facto incurrenda.

Cognitionem autem hujusmodi causarum quoad Ecclesiasticos decernit spectare in Urbe ejusque districtu ad Vicarium, Gubernatorem, et Apostolicae Camerae Auditorem in solidum: extra Urbem et districtum in Provinciis S. Sedi immediate subjectis ad Legatos a latere, Prolegatos, et Praesides in Ecclesiastica dignitate constitutos. Extra Pontificiam vero ditionem, illam committit privative Locorum Ordinariis, et Inquisitoribus, penitus Superioribus localibus exclusis, cum facultate easdem causas avocandi a quocumque Tribunali, specialiter non delegato, auxilio etiam Curiae Saecularis, si opus fuerit, invocato, inhibendo cuilibet Superiori Ecclesiastico, Saeculari, aut Regulari ne audeat dictos Judices deputatos impedire, molestare, seu perturbare, praecepto eidem imposito tradenti Religiosos, licet actu Superiores, cum scripturis et actis, quoties ad id fuerint requisiti.

Non obstantibus etc. sublata etc. irritando etc.

* QUOD ITALI EXTRA ITALIAM NON HABITENT IN LOCIS UBI LIBER, ET PUBLICUS CULTUS, SIVE USUS CATHOLICAE RELIGIONIS NON EXISTANT.

XIII. *Clemens VIII. in sua Constitutione, quae incipit «Cum sicut» die 26. Julii* 1569. *edita decernit, ut nullus Italus, sive Mercator, sive cujusvis alterius conditionis, vel status, quovis quaesito colore, praetextu, vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in Civitate, Oppido, seu loco, ubi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote Catholico non existat, in qua libere, et sine omni periculo palam, et publice celebrari, et audiri possint Sacrosanctae Missae, et alia Divina Officia, et Conciones, ac Sacramenta Ecclesiastica mini-*

strari, mortuorum corpora sepeliri, et caetera fieri juxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae.

2. *Ut iidem Itali abstineant a matrimoniis cum haereticis mulieribus, et ab haereticorum sepulturis; neque filios suos de sacro Fonte levari per haereticos permittant, nec ipsi vicissim haereticorum filios, nisi per Catholicum Sacerdotem catholico more baptizentur, levare praesumant; denique Medicorum haereticorum opera, necessitate cessante, non utantur.*

3. *Ut Itali ex Italia recedentes ad morandum, seu inhabitandum in partibus praedictis, id significent suis Ordinariis, et Inquisitoribus locorum, a quibus serio admoneantur, ut in eis perpetuo catholicam fidem retinentes, piam et catholicam vitam ducant, festos dies, abstinentias, et ecclesiastica jejunia religiose colant, atque omnem haeresim, et errorem, haereticos et schismaticos fugiant, ac singulis saltem amnis teneantur de eorum sacramentali confessione, et sanctissimae Eucharistiae perceptione fidem Ordinariis, vel Inquisitoribus in Italiam transmittere.*

4. *Quod si quis contra praemissa facere praesumpserit, Ordinarii, et Inquisitores possint adversus eum, uti de haeresi suspectum procedere; non obstantibus etc.*

* CONTRA HAERETICOS IN LOCIS ITALIAE, ET INSULARUM ADJACENTIUM QUOVIS PRAETEXTU COMMORANTES, EORUMQUE FAUTORES.

XIII. *Gregorius XV. in sua Constitutione sub die 2. Julii* 1622. *quae incipit* «Romani Pontificis» *praecedentem Clementis VIII. Constitutionem confirmans statuit, ut nullus Haereticus in locis Ita-*

liae, et Insularum adjacentium sub quovis praetextu, etiam commercii, vel mercimonii domicilium contrahere, seu domum apertam vel propriam, vel conductam, vel gratis concessam habere, seu habitare, aut morari possit; alioquin adversus eos procedatur, ac poena infligatur.

2. *Et pariter uti fautores ii puniantur, qui eosdem receptaverint, eisque quomodolibet favorem, opem, seu auxilium praebuerint; non obstantibus etc.*

REVOCATIO FACULTATUM SUPERIORIBUS REGULARIBUS CONCESSARUM DE COGNOSCENDIS SUORUM SUBDITORUM CAUSIS AD S. INQUISITIONEM PERTINENTIBUS

XIV. Paulus V. per suam Constitutionem, quae incipit «Romanus Pontifex» die 1. Septembris 1606. editam, moderatur Constitutionem Pii IV. concedentis Superioribus Regularibus praeventionem in causis haeresis, quae ad suos subditos pertinent. Hinc cassat, revocat, et abolet quaecumque privilegia, indulta, et concessiones Generalibus, Superioribus, et Praelatis cujusvis Ordinis, et Instituti, quantumvis exempti, largitas, licet approbatas atque etiam longissimo tempore observatas, cognoscendi causas ad S. Officium quovis modo spectantes, vel terminandi, vel in illis quomodolibet se intromittendi. Eisdem etiam expresse prohibet ne quovis quaesito colore, vel praetextu praeventionis, consuetudinis, et praescriptionis immemorabilis audeant in eisdem causis se immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare.

2. Mandat, ut ipsi Religiosi possint, et debeant omnes, etiam Ordinis ejusdem professores de haeresi suspectos Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus denunciare, quin Superiores praedicti personas denunciandas impedire, vel retardare, et causas perquirere praesumant.

3. Causas hujusmodi a Superioribus jam incoeptas avocat, praecipiens, ut eas, omnesque respectivos processus, et acta Inquisitoribus, seu Ordinariis locorum remittant.

4. Insuper eisdem jubet, ut absque ulla conferentia cum propriis Superioribus facienda, eos Religiosos denuncient, quos, etiam in visitatione, haeresis labe infectos, vel suspectos noverint.

5. Quod si praesentibus litteris non paruerint, eos poenas omnes privationis quarumcumque dignitatum, Praelaturarum, vel Officiorum, vocisque activae et passivae, perpetuaeque inhabilitatis ad illa, et contra fautores haereticorum, et impeditores S. Officii inflictas, nec non alias censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis majoris latae sententiae, sibi, suisque Successoribus, excepto mortis articulo, reservatae, eo ipso incurrisse decernit.

Non obstantibus etc. derogando etc. sublata etc.

CONFIRMATIO, DECLARATIO, AMPLIATIO SUPRADICTAE CONSTITUTIONIS.

XV. Alexander VII. per suum Decretum a Sacra Inquisitionis Congregatione latum die 8. Julii 1660. quod incipit «Licet alias» ~~praefatam~~ Pauli V. Constitutionem (†) innovans, atque declarans districte praecipit omnibus, et singulis Superioribus cujuscumque Ordinis, et Instituti, licet quovis privi-

(†) «Romanus Pontifex»

legio muniti, ut omnes cujuscumque gradus Religiosos, tam sibi ipsis subditos, quam non subditos, de haeresi quamtumvis leviter suspectos, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum denuncient. Atque etiam, ne audeant in causis ad Sanctum Officium spectantibus se intromittere, neque suos subditos ad Ipsum recurrentes, molestare, vexare, vel alio quovis modo sive directe, sive indirecte avertere, retrahere, dissuadere; imo monere debeant, ut eidem Decreto omnino pareant, et alios Christifideles, etiam Confratres suos ad parendum hortentur, rejectis penitus contrariis opinionibus, quas tamquam perniciosas, temerarias, et a mente Summorum Pontificum alienas reprobat, et damnat.

2. Insuper declarat eosdem Religiosos, etsi nulla participatio, et petita venia a Superioribus, vel nulla fraterna correctio, aliaque monitio praemissa fuerit, omnino teneri ad denunciandum Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum quoscumque licet Confratres suos, ac Superiores ejusdem Ordinis, etiam primarios, quos de fide quantumvis leviter suspectos noverint. Quinimo iidem debeant quemlibet alium monere, et obligare ad denunciandum, neque possint ab hujusmodi onere sub fraternae correctionis, vel alio quovis praetextu retrahere, aut retardare.

3. Voluit etiam quoscumque tam Superiores, quam subditos contrafacientes subjacere omnibus censuris in dicta Constitutione Pauli V. expressis, nec non privationis quarumcumque dignitatum, praelaturarum, seu officiorum, vocisque activae vel passivae, perpetuaeque inhabilitatis ad illa, ipso facto, et absque alia declaratione incurrendis, aliisque Summorum Pontificum arbitrio infligendis poenis, quas Eisdem reservavit.

4. Sub eisdem poenis, ipso pariter facto incurrendis, et reservatis mandavit, ut Superiores omnes praefati in quocumque loco, Conventu, vel Collegio sui Ordinis Decretum hoc semel saltem singulis annis, Kalendis Martii, publice legi curent una cum aliis Decretis et Constitutionibus ad Sanctum Officium pertinentibus juxta Urbani VIII. Decretum.

5. Denique iidem Superiores teneantur curare et efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, et affixa conserventur, ita ut ab omnibus Religiosis videri, ac legi commode queant. De hujusmodi vero lectione, publico documento ab eisdem Superioribus, ac duobus aliis Religiosis ejusdem Conventus, vel Domus subscripto Sacram Inquisitionis Congregationem in Urbe, vel Inquisitores locorum certiores faciant.

REVOCATIO QUARUMCUMQUE FACULTATUM VIVAE VOCIS ORACULO CONCESSARUM, PRAETER EAS CARDINALIBUS FACTAS, EORUMQUE MANU FIRMATAS.

XVI. Gregorius XV, in sua Constitutione sub die 2. Julii 1622. qnae incipit «Romanus Pontifex» omnia, et singula indulta, facultates, privilegia, gratias, et concessiones quascumque spirituales, et Ecclesiasticas tam ad forum interius, quam ad exterius spectantes, tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia, et potestatis plenitudine Apostolicae Sedis largitas, quae tamen vivae vocis oraculo usque ad illam diem quandocumque, et qualitercumque, et quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, factae fuerunt quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Societatibus, etiam So-

cietati Jesu, Congregationibus, Praepositis, Decanis Magistris, Ministris, Praelatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, Provincialibus, et Superioribus quibuscumque, licet exemptis, et quovis privilegio munitis, dummodo suum non fuerint sortitae effectum, revocat, cassat, tollit, abrogat, et annullat.

2. Excipit tamen concessiones ad supplicationem Regum indultas, aliasque S. R. E. Cardinalibus licet vivae vocis oraculo factas ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque favorem, propria eorumdem Cardinalium manu firmatas, pro ipsis vel pro aliis, de quibus iidem testimonium in scriptis praebuerunt.

Non obstantibus etc. sublata etc.

EXTENSIO PRAECEDENTIS CONSTITUTIONIS REVOCATORIAE.

XVII. Urbanus VIII. in sua Constitutione incipiente «Alias fel. record.» die 20. Decembris 1631. omnia, et singula privilegia, facultates, licentias, et gratias quascumque vivae vocis oraculo concessas, licet propria Cardinalium quorumcumque manu firmatas, atque etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, et Principum quorumlibet indultas revocat, cassat, abrogat, et annullat.

2. Praeterea sub excommunicationis, ac privationis officiorum, et dignitatum, vocisque activae et passivae poenis ipso facto incurrendis mandavit omnibus Generalibus, et supremis quorumlibet Ordinum, Congregationum, et Institutorum Superioribus, ut singulos suos Provinciales, ii vero Superiores locorum de praesentibus litteris certiores faciant, qui subditis suis teneantur juxta morem easdem publicare; non obstantibus etc. sublata etc.

XVIII. Idem Urbanus VIII. per aliam Constitutionem sub die 12. Aprilis 1635. quae incipit «Alias fel. record.» justis de causis declaravit, in praecedenti sua Constitutione revocatoria concessionum vivae vocis oraculo factarum minime comprehensos esse, neque comprehendi debere, eos Officiales, sive Ministros, quibus ratione officiorum, ac munerum suorum de Summi Pontificis oraculis, ut antea fieri solebat, fides habenda est; ideoque gratiae, licet vivae vocis oraculo obtentae, de quibus praefati Ministri, et Officiales testantur, firmae, validae, et efficaces tam pro foro interiore, tam pro exteriore perdurant.

Hujusmodi vero Officiales ac Ministri plures extant, ut apparet in *Extravag. commun. Ad Regimen.* 13. *de Praebend. et Dignit.* idest Camerarius, Vice-Cancellarius, Auditor, Poenitentiarius, Scriptores litterarum Apostolicarum, Legati, Nuncii Apostolici, Thesaurarii, etc. Inter eos adnumerandi sunt Cardinales ad id specialiter a Pontifice deputati; nec non Cardinales Regularium Protectores, qui, ut Ministri Pontificis Maximi, de Ordinibus sibi commissis jurisdictionem, et curam gerunt, quibus testimonium ferentibus de iis quae ad praefatos Ordines pertinent, fides habenda est.

REVOCATIO QUORUMDAM PRIVILEGIORUM, SEU FACULTATUM AUT VIVAE VOCIS ORACULO, AUT PER RESCRIPTUM FACTARUM.

XIX. Clemens XII. in sua Constitutione sub die 12. Februarii 1732. quae incipit « Romanus Pontifex » revocat, cassat, tollit, abrogat, et annullat infrascriptas gratias, indulta, facultates aut

per rescriptum ad supplicationem partium, aut motu proprio Summorum Pontificum, vivae vocis oraculo obtentas, licet a quibusvis Cardinalibus, Officialibus, Ministris S. Sedis firmatas. Hujusmodi sunt:

1. Audiendi confessiones Monialium, aut aliorum Saecularium in Monasteriis, seu Conservatoriis commorantium, absque expressa Ordinariorum, et Superiorum, ad quos pertinet, licentia; ipsisque Monialibus, et Saecularibus, ut supra, eligendi Confessarium non approbatum.

2. Absolvendi quamlibet personam a peccatis, poenis, seu censuris Episcopis, aut S. Sedi reservatis; sic etiam quibusvis eligendi Confessarium, licet approbatum, ut ab hujusmodi poenis, seu peccatis absolvantur.

3. Dispensandi ab onere denunciationis eos, qui ad id tenentur.

4. Utendi quavis facultate S. Sedi reservata, et solummodo Poenitentiariis, tempore Jubilaei, Missionum, seu Spiritualium Exercitiorum, concessa; atque etiam praedicto tempore utendi facultatibus, quae solent a Sacra Poenitentiaria interdum concedi.

5. Absolvendi a juramentis, licet sine alterius damno, aut jactura.

6. Solvendi, aut commutandi vota, licet simplicia, et non jurata.

7. Dispensandi aliquem ab irregularitate, seu inhabilitate orta a quovis crimine vel defectu, licet occulto, tam ad recipiendos, quam ad exercendos Ordines, et consequenda Beneficia Ecclesiastica.

8. Eximendi a quocumque impedimento matrimonium dirimente licet occulto; sive agatur de

matrimonio contrahendo, sive de convalidando jam contracto.

9. Convalidandi titulos Beneficiorum Ecclesiasticorum, quae simoniace, seu quomodocumque invalide fuerunt consecuta; nec non condonandi, seu componendi fructus indebite perceptos.

10. Celebrandi Missam in Altari portatili, aut extra tempus, sive non observandi caeremonias praescriptas ad Sacrum faciendum, vel Eucharistiam administrandam.

11. Revocat licentias a Regularibus obtentas, quae paupertatis voto, Regulari observantiae, Constitutionibus Apostolicis, seu proprii Instituti legibus, et Regulis quovis modo adversantur.

12. Facultatem dispensandi seipsum, sive alios absque causa a recitatione Divini Officii; seu illud commutandi in alias preces, seu opera pia, vel in aliud Officium; vel extra tempus ab Ecclesia statutum illud recitandi.

13. Loquendi cum Monialibus, quoad Regulares, licet propinquis, seu cum aliis personis intra Clausuram degentibus, absque speciali Superiorum, ad quos quomodocumque spectat, licentia.

14. Denique communicandi aliis quovis modo praefatas facultates. Deinde cuilibet personae, licet quovis privilegio suffultae prohibet, ne hujusmodi facultatibus, ut supra obtentis, utatur, sub poenis excommunicationis, ac privationis officiorum, dignitatum, beneficiorum, vocisque activae et passivae, ac inhabilitatis tum ad illa, tum ad audiendas Confessiones ipso facto incurrendis, et Sanctae Sedi reservatis.

Verum per praesentem Constitutionem Summus Pontifex gratias et praefatas facultates con-

cessas per litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis datas, aut per rescripta lata a Sacris Congregationibus in Urbe approbatis, vel a Sacra Poenitentiaria, revocare minime intelligit.

REVOCATIO LICENTIARUM QUARUMCUMQUE LEGENDI ET HABENDI LIBROS PROHIBITOS.

XX. Gregorius XV. in sua Constitutione incipiente «Apostolatus Officium» sub die 30. Decembris 1622. omnes et singulas licentias legendi, et habendi libros prohibitos quibuscumque personis cujusvis gradus, et conditionis, etiam per litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, licet in forma Brevis, vel aliter quomodocumque concessas revocat, cassat, et annullat; atque inde declara hujusmodi facultatibus uti volentes poenas in Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Indicibus Librorum prohibitorum incurrere.

Insuper decernit, ut quicumque libros praefatos habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, a quibus quanto citius sunt comburendi, infra duos menses deferant; ita pariter teneantur eos denunciare, quos noverint hujusmodi libros habere. De caetero voluit, ut similes licentiae, non nisi a Congregatione S. Officii, quae singulis hebdomadis coram Pontifice haberi solet, concedantur.

ALIA REVOCATIO PRAECEDENTIS TENORIS.

XXI. Urbanus VIII. per suam Constitutionem, quae incipit «Apostolatus Officium» sub die 2. Aprilis 1631. editam, omnes et singulas licentias legendi, et habendi libros prohibitos revocavit eodem plane modo, ac sub eisdem poenis, ut in

praecedenti Gregorii XV. Constitutione. Excepit solummodo licentias a semetipso concessas per litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, seu per Chirographum propria manu signatum.

DECRETUM

QUOAD IMAGINES, SEPULCHRA, ET MIRACULA NONDUM A S. SEDE APOSTOLICA CANONIZATORUM, VEL BEATIFICATORUM.

XXII. Urbanus VIII. per suum Decretum, quod incipit « Sanctissimus Dominus Noster » a Sacra Congregatione S. Offi cii latum die 13. Martii 1631. declaravit, statuit, et decrevit, ne quorumvis hominum cum sanctitatis, et martyrii fama defunctorum Imagines, et quodcumque eorum aliud venerationem, et cultum praeseferens, et indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis tam Saecularibus, quam Regularibus cujuscumque Instituti apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur; et si quae appositae sunt, statim amoveri mandavit.

2. Insuper vetuit ne libri, qui eorumdem hominum gesta, miracula, revelationes, seu quaecumque beneficia tamquam eorum intercessione a Deo accepta continent, absque Ordinarii approbatione imprimerentur; qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios ac doctos Viros in consilium adhibeat, et ne fraus in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet. Revelationes vero, miracula, aliaque gesta, quae in libris absbue

hujusmodi approbatione impressis continentur, nullo modo approbata censenda sunt.

3. Vetuit etiam ad eorum sepulchrum tabellas, atque imagines tam pictas, quam fictas, atque exsculptas appendi, aut affigi, et lampades, sive alia quaecumque lumina accendi sine recognitione Ordinarii, ut supra, Sedi Apostolicae referenda ab eaque probanda.

4. Declaravit tamen, quod per haec praejudicare nullatenus intendit iis, qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicae, vel Ordinarii coluntur.

5. Denique universis, ac singulis Ordinariis, et Inquisitoribus districte praecepit, ut supra praemissis sedulo invigilent, transgressores privationis suorum officiorum, ac vocis activae et passivae, nec non suspensionis, aliisque ad libitum poenis plectendo. Qui vero libros impresserint, aut Imagines pinxerint, seu sculpserint, caeterique hujusmodi artifices praedicta omnia amittant, et insuper pecuniariis, aliisque etiam ad arbitrium corporalibus poenis afficiantur. Non obstantibus etc.

* PROHIBITIO QUOAD DEGENTES IN STATU ECCLESIASTICO DE LIBRIS NON ALIO EDENDIS ABSQUE LICENTIA.

XXIII. *Urbanus VIII. per suum Decretum, quod incipit « Sanctissimus Dominus Noster » a Sacra Congregatione Sancti Officii latum die* 18. *Septembris* 1625. *decrevit, ut nemo in Statu Sedi Apostolicae mediate, vel immediate subjecto degens, cujusvis ordinis, gradus, et dignitatis, libros de*

quavis materia tractantes, et ubicumque compositos audeat alio deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Cardinalis Vicarii, et Magistri Sacri Palatii in Urbe; si vero extra Urbem, sine Ordinarii, seu Inquisitoris locorum licentia operi praefigenda.

2. *Libros autem, quos contra praesentis Decreti tenorem imprimi contigerit, praeter alias poenas arbitrio Summi Pontificis infligendas, prohibet; et pro expresse prohibitis haberi mandat: non obstantibus etc.*

DECLARATIO QUOD CONSTITUTIONES APOSTOLICAE EDITAE SEU EDENDAE AD S. OFFICIUM SPECTANTES, REGULARES QUOSCUMQUE COMPREHENDANT.

XXIV. Urbanus VIII. per suam Constitutionem die 5. Novembris 1631. editam, quae incipit «Cum sicut accepimus» declarat quaslibet Constitutiones, ordinationes, et dispositiones Apostolicas, concernentes Fidem Catholicam, illiusque propagationem, et S. Inquisitionis Officium, praesertim quoad ea, quae in Congregationibus S. Officii, et Propaganda Fide tractari solent, usque ad illum diem editae omnes et singulos quorumcumque Ordinum, S. Benedicti, Societatis Jesu, aliorumque professores licet quovis privilegio munitos comprehendere, perinde ac si in eis nominatim expressi fuissent. Similiter in posterum edendae tam ad S. Officium, quam ad aliam rem quamcumque pertinentes omnino comprehendant praefatos eorumdem Ordinum professores, nisi specialiter, et expresse excipiantur. Itaque omnibus de hac re privilegiis derogat, omni etiam exceptione de subreptionis et obreptionis vitio exclusa; non obstantibus etc. sublata etc.

DECRETA LEGENDA

MENSE JUNII

FERIA VI. POST OCTAVAM CORPORIS CHRISTI

ET

MENSE DECEMBRIS

FERIA II. POST PRIMAM DOMINICAM ADVENTUS

SUPRA CELEBRATIONEM MISSARUM.

I. Sacra Congregatio Concilii, auctoritate Urbani VIII. illi specialiter attributa, pro viribus satagens quosdam super celebratione Missarum abusus convellere, atque eradicare, die 27. Junii 1625. infrascripta Decreta edidit.

1. Districte prohibet sub poena nullitatis, ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post Concilium Tridentinum imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, vel moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur.

2. Deinde praecipit, nt a Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuscumque, absolute tot Missae celebrentur quot ad rationem stipendii, sive ab una, sive a pluribus personis collati, quantumcumque incongrui, et exigui, praescriptae fuerint; alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur.

Quapropter revocat privilegia et indulta omnia quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium earumdem oneribus satisfiat.

3. Prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

4. Decernit, ut pecunia, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Monasteriis etc. tam Saecularibus, quam Regularibus tradita, vel relicta cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, statim sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto incurrenda, deponi debeant penes Aedem sacram, vel personam fide, et facultatibus idoneam, ad effectum illam, seu illorum praetium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua oneris annexi mentione. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica alienari contigerit, praetium sub eadem poena, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

5. Prohibet eisdem Locis piis, ac respectivis eorum Superioribus tam Saecularibus, quam Regularibus, ne onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Saeculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis, vel Provincialis licentia in scriptis, sub poena, contra primos, interdicti eo ipso ab ingressu Ecclesiae, contra secundos, privationis omnium Officiorum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, vocisque activae et passivae absque alia declaratione incurrenda.

6. Eleemosynas vero manuales, et quotidianas pro Missis celebrandis iidem accipere possint, si oneribus antea impositis satisfecerint; alioquin abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, recipiendis; et capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione *Eleemosyna pro Missis*, sub eisdem poenis ipso facto incurrendis.

7. Episcopus vero, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis de licentia pro perpetuis oneribus requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de Missarum obligationibus cuique Loco Pio incumbentibus; nec antea assensum praebeant, quam eis legitime constiterit illius Sacerdotes tam antiquis, quam novis oneribus satisfacere posse. Itaque praecipue animadvertant, ut redditus relicti omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciae, excogitantes in novissimo die hujus praetermissi muneris rationem esse reddituros.

8. Sed quoniam hujusmodi mala fere omnia nascuntur ex majori Regularium numero, quam ferant redditus, et eleemosynae cujusque Monasterii, ideo Sacra Congregatio auctoritate Summi Pontificis praecipit omnibus Generalibus, aliisque Superioribus Regularibus cujusvis Ordinis, et Instituti, intra fines Italiae, et Insularum adjacentium, ut in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis probatioribus, et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, proventus, ac eleemosynas tam communes, quam singularibus personis Religiosis assignatas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate praecedentium habita ratione, diligenter, et mature recognoscant, iis detractis, quae reparationes, praestationes, grandines, steri-

litates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere. Haec omnia scripto fideliter exarata in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel provinciali, coram tribus Judicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponatur, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis, et obventionibus, oneribusque, ut supra, detractis, sedulo examinent, quot Religiosi, connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque Monasterio, Conventu, et Domo Regulari, juxta Regionis, et proprii Instituti morem, in communi victum, vestitum, et medicinalia habentes, competenter valeant sustentari. Hujusmodi nota ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeatur, ut in illo diligenter omnibus discussis, cuique Monasterio, ac Domui certus Religiosorum numerus, Patrum Capitularium voto praefigatur. Omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipsam Congregationem infra annum post proximum Capitulum generale, vel provinciale computandum mittantur. Numerus vero Familiae ita praefinitus perpetuo servetur, nec quacumque de causa, absque Sacrae Congregationis licentia possit augeri. Haec omnia Superioribus praecipiuntur sub poena privationis omnium Officiorum, vocisque activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, ipso facto incurrenda.

9. Postremo decernit, ut Monasterium, Conventus, ac Domus Religiosorum nullibi recipiantur, nisi, praeter alia ad id requisita, duodecim saltem Religiosi in iis locis degere, et ex redditibus, ac eleemosynis competenter sustentari valeant; alioquin hujusmodi Monasteria post haec reci-

pienda subsint Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodae jurisdictioni.

Superiores locales efficere teneantur sub poena privationis officii, vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut bis in anno, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post Octavam Corporis Christi praesentes ordinationes in publica Mensa perlegantur.

Non obstantibus etc. derogando etc. sublata etc.

DECLARATIONES

SUPER PRAEMISSORUM DECRETORUM INTELLIGENTIA.

II. Excitatis super praemissorum Decretorum intelligentia infrascriptis dubiis, a memorata Sacra Congregatione Concilii, simili auctoritate a praefato Urbano VIII. specialiter illi attributa, sequentes prodierunt declarationes.

1. *Dubium.* Si legatum sit ita tenue, ut nullus velit onus illi injunctum subire, et si propter recursum ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris totum ac fere totum insumi oportet pro expensis ad id necessariis, quid faciendum?

Respondit. Sedem Apostolicam, iis non obstantibus, esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet, quod magis expedire in Domino judicaverit: verumtamen si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis esse validam, et observandam.

2. *Dubium.* An verba illa, tot Missae celebrentur quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, intelligenda sint de praescriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Respondit. Intelligenda de praescriptione fac-

ta ab offerente; quod si ab hoc numerus Missarum non fuerit praescriptus, tunc praescribendus ab Ordinario secundum morem Civitatis, vel Provinciae.

3. *Dubium.* An cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdos accipiens stipendium minus congruum, teneatur Missas illi ab offerente praescriptas celebrare?

Respondit. Teneri.

4. *Dubium.* An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellae, legati, aut salarii possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis et Defunctorum recipere, et unico Missse Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Respondit. Non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

5. *Dubium.* Posito quod Testator reliquerit certum Missarum numerum absque praescriptione eleemosynae, an haec ab haeredibus, vel ab Ordinario sit praescribenda?

Respondit. Ab Ordinario secundum morem Civitatis, vel Provinciae.

6. *Dubium.* Cum Sacra Congregatio revocaverit privilegia, quibus indulgebatur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat, an verba, *in futurum suscipiendis,* intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

Respondit. Ita esse intelligenda.

7. *Dubium.* An permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiae, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, Vini, Hostiae, et similium?

Respondit. Permittendum non esse nisi cum Ecclesiae alios non habeant redditus in hujusmodi usum licite erogandos; et tunc portionem quam retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario subeundarum, et nihilominus curandum esse, ut tot Missae celebrentur, quot fuerint praescriptae.

8. *Dubium.* An Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur eidem dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii?

Respondit. Satis esse, ut tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Civitatis, vel Provinciae, nisi in fundatione Beneficii aliud cautum fuerit.

9. *Dubium.* An Sacerdotes, quibus offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis, si dent eleemosynam consuetam?

Respondit. Debere absolute integram eleemosynam tribuere, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

10. *Dubium.* An novas valeant eleemosynas recipere ii Sacerdotes, qui acceptis non satisfecerunt; et quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Respondit. Posse nova etiam onera Missarum suscipere, dummodo infra modicum tempus valeant omnibus satisfacere.

11. *Dubium.* Quid si offerens eleemosynas audito impedimento consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?

Respondit. Posse.

12. *Dubium.* An poena interdicti, et aliae

appositae in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos, qui non auferunt ab Ecclesiis capsulas pro Missis ?

Respondit. Has poenas non habere locum, nisi in suscepturis onera Missarum perpetua sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

13. *Dubium.* An in hoc Decreto comprehendantur illae Capsulae, quae apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium Sanctorum, et vulgo dicuntur « *Casse de' Morti?* »

Respondit. Comprehendi.

14. *Dubium.* An in Ecclesiis magnae devotionis, et concursus, possint accipi eleemosynae pro Missis, licet celebrari nequeant nisi post longum tempus, ne devotio, cultus, atque concursus Fidelium minuantur?

Respondit. Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tradunt.

15. *Dubium.* Si in hisce Decretis, eorumque prohibitionibus comprehendantur privati Sacerdotes?

Respondit. Comprehendi.

16. *Dubium.* An ubi praefixio numeri Religiosorum in quolibet Monasterio facta jam fuit vigore similis Decreti sanctae memoriae Pauli V. absque computatione reddituum cujusque Religiosi, sit denuo facienda nec ne?

Respondit. Esse iterum faciendam.

17. *Dubium.* An Novitii ad habitum regularem admissi, possint ad Professionem admitti in Monasteriis, in quibus habita, ut supra, praefixione numeri, commode sustentari nequeunt?

Respondit. Esse admittendos si habiles exi-

stant, ac deinde in alio Monasterio esse collocandos, ubi commode ali possint.

18. *Dubium.* An eae Religiones, quae Missarum onera suscipere non consueverunt, ut sunt Religiones Capuccinorum, et Societatis Jesu, valeant Coenobia, ac Domus erigere, in quibus duodecim Religiosi commode ali nequeunt?

Respondit. Non posse.

19. *Dubium.* An hoc Decretum, ut non recipiantur Conventus Regularium, nisi, praeter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, et competenter sustentari valeant, alioquin subsint jurisdictioni Ordinarii, locum habeat extra Italiam, Insulasque adjacentes?

Respondit. Habere locum etiam extra Italiam, Insulasque adjacentes.

CONFIRMATIO, ET EXTENSIO PRAECEDENTIUM DECRETORUM.

III. Memorata Sacra Congregatio Concilii, praevia auctoritate s. m. Innocentii XII. die 23. Novembris 1697. infrascripta edidit Decreta, quae ab eodem Summo Pontifice per suum Breve, quod incipit « Quocirca cum dilectus » sub die 23. Decembris 1697. omnino approbata, et confirmata fuerunt. Hujusmodi sunt.

1. Omnia supradicta Decreta cum illorum declarationibus plenissime approbavit, confirmavit, ac innovavit, universis praecipiens, ut omnimodae executioni demandentur.

2. Insuper eos, qui Missarum celebrationem omittunt sub malitiosa, vel irrationabili spe earumdem condonationem, vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a Reverenda Fabrica S. Petri de Urbe obtinendi, certiores et monitos

fecit praefatas condonationes, et reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa, seu aequa commiseratione; compositiones vero a dicta Fabrica, nonnisi ex causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, praesertim cum illa: *dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur,* admitti consuevisse, et solere. Quapropter tales intentiones, opiniones, spes, contraventiones, seu circumventiones directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas, tamquam prorsus irrationabiles, injustas, ac illicitas reprobat, damnat, et interdicit.

3. Decrevit, ut omnes Rectores, Superiores, ac Ministri tum Saecularium, tum Regularium Ecclesiarum debeant in loco magis patenti, et obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, et temporalium litteris perspicuis, et intelligibilibus descriptorum; quorum implemento, si nequeant intra breve tempus satisfacere, vel illa dumtaxat, et non ulteriora adimplere posse crediderint, nullatenus nova onera suscipiant; idque in eadem Tabella similiter exprimant.

4. Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, et temporalia, in altero autem Missas manuales, et tam illorum, quam illarum adimplementum, et eleemosynas distincte, et diligenter adnotare, atque de iis exactam rationem suis Superioribus reddere. Verum, tam Superiores, quam supradicti reddendae rationi obstricti sedulo curent, ut in praefatis libris omnes et singulae rationes hujusmodi describantur, seu adnotentur.

5. Praecipit, ut Regulares debeant omnes eleemosynas tum manualium, tum perpetuarum, et temporalium Missarum reponere in capsa particu-

lari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera penes alium a Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de eisdem eleemosynis, et celebratione Missarum coram Patribus Discretis, seu Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus, exactam rationem exigere, et respective reddere.

6. Quod si autem ii, ad quos cura Tabellae, Capsae, et librorum pertinet, operam praemissis rebus non navaverint, et Superiores tam Saeculares, quam Regulares rationem praedictam non exegerint, seu non invigilaverint, ut quisque suo muneri satisfaciat, in singulis respectivis casibus Saeculares poenam suspensionis, Regulares vero privationis vocis activae et passivae, graduum, officiorum, ac inhabilitatis ad illa ipso facto, et absque ulla declaratione incurrant.

7. Et ne ullo unquam tempore haec decreta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Saecularium Ecclesiarum illa retineant exposita in eorum Sacrario; Superiores vero Locales cujuscumque Monasterii efficere teneantur sub poena privationis officiorum, vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum bis in anno, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post Octavam Corporis Christi, tum praemissae, seu confirmatae cum suis declarationibus, tum praesentes ordinationes in publica Mensa perlegantur.

8. Denique Ordinarios et singulos Superiores excitat ad sedulam curam impendendam, ut haec Decreta tum per se, tum a personis sibi subjectis omnimodae executioni demandentur, ac Missae ea, qua par est, fide, et diligentia celebrentur, nec ullo modo differantur, negligantur, seu pervertantur;

imo debeant contravenientes congruis poenis animadvertere, atque de hac re instantibus justitiam reddere. Praecipit etiam, ut Superiores locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibeant attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu Domus subscriptam, et juratam, quod singulis tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus tempore eorum regiminis fuerit omnino, et integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento intra breve tempus satisfieri; alioquin praefatam attestationem non exhibentes vocem activam et passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omnino habere non valeant.

9. Praeterea Provinciales, Vicarii, et Visitatores debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quod executioni praesentium Decretorum sedulo invigilaverint, et in singulis Conventibus, Monasteriis, vel Domibus Provinciae, seu Congregationis de omnibus Missarum oneribus, ac insimul satisfactionibus exactam rationem exegerint, contra delinquentes ad declarationem, et executionem poenarum in Decretis contentarum processerint, et ea, quae in praemissis ad ipsos spectant, adimpleverint, alioquin ad vocem activam, et passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.

Vult etiam, ut ad ea, quae in praemissis spectant ad retinendum Tabellam, et libros, nec non ad rationem de oneribus, celebrationibus, ac eleemosynis Missarum singulis annis exigendam, vel reddendam, uno verbo ad praesentium Decretorum executionem omnes cujusvis Archiconfraternitatis, Confraternitatis, Societatis, Congregationis,

Hospitalium, Altarium, Cappellarum, Oratoriorum, Ecclesiarum, et quorumcumque locorum piorum, quovis etiam privilegio posthabito, Rectores, Administratores, Directores, Superiores, et Officiales sub poenis ad arbitrium, et in subsidium excommunicationis, teneantur.

Non obstantibus etc. sublata etc. derogando etc.

MERCIMONIA SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM VETANTUR.

IV. Benedictus XIV. f. r. in sua Constitutione edita die 30. Junii 1741. ac incipiente « Quanta cura » primo animadvertit Missas esse celebrandas in illa Ecclesia, seu loco ubi volunt eleemosynam conferentes; postea declarat quemcumque, qui eleemosynas, seu stipendia pro Missis celebrandis colligens et accipiens, ipsas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum, celebrare fecerit, Laicum quidem excommunicationis, Clericum vero suspensionis poenam sibi, suisque successoribus reservatam ipso facto incurrere.

DECRETA LEGENDA

MENSE AUGUSTI

FERIA VI. POST OCTAVAM ASSUMPTIONIS B. V. M.

SUPERIORIBUS REGULARIUM PRAECIPITUR, UT SUBDITOS SUOS COMMONEANT DE INJUNCTA OMNIBUS OBSERVANTIA, ET EXECUTIONE APOSTOLICARUM CONSTITUTIONUM, ET DECRETORUM AD S. OFFICIUM ADVERSUS HAERETICAM PRAVITATEM PERTINENTIUM.

I. Urbanus VIII. s. m. per Decretum a Sacra Congregatione Inquisitionis latum die 24. Aprilis 1633. quod incipit « Sanctissimus Dominus noster » districte mandavit, ut omnes Superiores cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, ac Instituti, quamtumvis exempti, et privilegiati, etiam de necessitate exprimendi, teneantur sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio Sanctitatis Suae infligendis, in perpetuum semel saltem in anno, idest feria sexta post Octavam Assumptionis Beatae Mariae Virginis in publica Mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, et in quocumque Generali, ac Provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, seu Capitulari Congressu suos subditos ac Religiosos commonere de injuncta omnibus observantia, et executione Apostolicarum Constitutionum, et Decretorum ad Sanctum Officium adversus haereticam pravitatem pertinentium. Insuper praecepit, ut exempla hujusce Decreti in aliquo loco publico Conventus, ubi a Religiosis omnibus videri, ac legi valeant, nec non de hujusmodi commonitione statim publico documento Sacram Inquisitionis Congregationem in Urbe certiorem faciant. Decreta vero, et Constitutiones ibidem com-

memoratae, quae ad S. Officium pertinent, sequentes sunt:

Julii III. Constitutio incipiens « Licet a diversis » contra impedientes Inquisitores haereticae pravitatis in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, et contra ipsos Inquisitores admittentes laicos ad criminis haeresis cognitionem. Et Pii V. Constitutio quae incipit « Si de protegendis » contra offendentes statum, res, personasque Sancti Officii, et contra eorum filios, nec non complices, et fautores.

Pii IV. Constitutio incipiens « Cum sicut nuper » contra Sacerdotes, qui poenitentes Mulieres in actu Sacramentalis Confessionis ad inhonestos actus provocare, et allicere tentant, et sollicitant. Et Gregorii XV. Constitutio, quae incipit « Universi Dominici Gregis » ampliativa circa hujus criminis probationes, et extensiva contra Sacerdotes in Confessionibus Sacramentalibus personas quascumque ad turpia sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda sollicitantes.

Gregorii XIII. Constitutio incipiens « Officii nostri partes » de jurisdictione Inquisitorum haereticae pravitatis in eos qui ad Ordinem Presbyteratus non promoti Missas celebrant, et sacramentaliter Confessiones audiunt. Ita Clementis VIII. Constitutio cujus initium « Et si alias » declaratoria poenae contra eos infligendae per Judices Laicos, praevia eorum degradatione. Et ejusdem Urbani VIII. quae exorditur « Apostolatus officium » extensiva ad minores vigintiquinque annis, dummodo vigesimum aetatis annum compleverint.

Sixti V. Constitutio incipiens « Coeli, et terrae Creator » contra exercentes artem Astrologiae judiciariae, et alia quaecumque Divinationum ge-

nera, librosque harum artium legentes, vel tenentes. Et ejusdem Urbani VIII. Constitutio cujus initium « Inscrutabilis judiciorum Dei » extensiva ad alia, et cum gravioribus poenis.

Clementis VIII. Constitutio exordiens « Cum sicut » contra Italos, ne extra Italiam proficiscantur ad loca, in quibus liber, et publicus cultus, sive usus Catholicae Religionis non existat, minusque eis in locis habitent. Et Gregorii XV. Constitutio incipiens « Romani Pontificis » contra haereticos, ne in locis Italiae, et Insularum adjacentium quovis praetextu commorentur; et contra eorum fautores et receptores.

Pauli V. Constitutio, cujus exordium « Romanus Pontifex » revocatoria facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, et Religiosorum quomodolibet concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad Sanctum Officium pertinentes. Et Gregorii XV. Constitutio incipiens « Romanus Pontifex in specula » revocatoria quarumcumque concessionum vivae vocis oraculo factarum. Atque etiam ejusdem Urbani VIII. Constitutio quae exorditur « Alias fel. record. » extensiva ad quoscumque quantumvis privilegiatos, et exemptos.

Pariter Constitutiones tum Gregorii XV. tum ejusdem Urbani VIII. ambae incipientes « Apostolatus officium » revocatoriae licentiarum quarumcumque legendi, et habendi libros prohibitos.

Denique Constitutiones ejusdem Urbani VIII. quarum prima incipit « Sanctissimus Dominus Noster sollicite animadvertens » de Imaginibus nondum a Sede Apostolica Canonizatorum, vel Beatificatorum cum radiis, splendoribus, aut aureolis non proponendis : tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulchra non apponendis: eorumve gestis, miracu-

lis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus non publicandis, aut imprimendis. Secunda exordiens « Sanctissimus Dominus Noster pro debito sui pastoralis officii » de libris ubicumque compositis, de quacumque materia tractantibus, ab his, qui degunt in Statu Ecclesiastico, non transmittendis alio, ut imprimantur, sine licentia Vicarii, et Magistri Sacri Palatii in Urbe, vel extra eam sine Ordinarii, et Inquisitoris licentia. Tertia vero incipiens « Cum sicut accepimus » decernit Constitutiones Apostolicas in concernentibus Fidem Catholicam, et Sanctum Officium usque ad illum diem editas, et in posterum etiam super quacumque alia re edendas, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendere, nisi in illis specialiter excipiantur.

SUPER PERPETUA INHABILITATIONE SACERDOTUM AD TURPIA SOLLICITANTIUM, VEL SACRIFICIO MISSAE ABUTENTIUM AD SORTILEGIA.

II. Benedictus XIV. per suum Decretum a Sacra Inquisitionis Congregatione latum die 5. Augusti 1745. quod incipit « In generali » decrevit, quod Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares cujusvis Ordinis vel Instituti, qui vel in actu Sacramentalis Confessionis, sive illius occasione, aut praetextu ad turpia sollicitant, vel Sacrificio Missae abutuntur ad sortilegia, praeter poenas a Jure, et Apostolicis Constitutionibus, ac signanter s. m. Sixti V. et Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad praefati Sacrificii celebrationem.

Deinde praecepit, ut de praesenti Decreto, quemadmodum de aliis, ut supra, semel saltem in anno feria sexta post Octavam Assumptionis Beatae Mariae Virginis publica habeatur lectio.

APPENDIX

DECLARATIONES

A SANCTISSIMO D. N. PIO PP. IX. APPROBATAE A SACRA CONGREGATIONE SUPER STATU REGULARIUM EDITAE DIE 1. MAJI 1851.

I. Declarationes super Decreto « Romani Pontifices » diei 25. Januarii 1848. ubique locorum servando.

1. An sufficiant testimoniales datae ab Ordinariis per literas privatas?

Resp. Affirmative.

2. Utrum sufficiant testimoniales, in quibus Ordinarii non testantur in specie de iis omnibus, quae in Decreto « Romani Pontifices » praescribuntur, sed dumtaxat in genere referunt de qualitatibus Postulantis?

Resp. Affirmative, sed a Superioribus Regularibus serventur alia de jure servanda ad singulas qualitates Postulantis cognoscendas.

3. Quid agendum si Ordinarii respondeant se Postulantes non agnoscere?

Resp. Posse Postulantes admitti ad habitum, et Novitiatum, si Ordinarius a Superiore requisitus expresse respondeat sese circa qualitates Postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de jure servanda; et Postulantes antequam ad habitum admittantur maneant saltem per tres menses in Conventu, ibique diligenter probentur.

4. Utrum Superiores admittere possint ad habitum sui Ordinis Postulantem absque literis testimonialibus Ordinarii, quando hic affirmat non posse eas dare quia prohibitus ab auctoritate civili?

Resp. Sufficere testimonium Ordinarii datum etiam per privatas et secretas epistolas; sed si Ordinarius a Superiore requisitus testimoniales ob expositam superius causam quovis modo dare renuat, posse Postulantem admitti, supplendo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem.

5. Utrum Superiores possint ad habitum ipsum admittere milites, de quibus Ordinarii affirmant se non posse in Gallia informare cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec Parochi ullam de his notitiam habere possint?

Resp. Affirmative, si Ordinarius a Superiore requisitus respondeat se informare ob dictam rationem non posse, dummodo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de jure servanda: et insuper Postulantes antequam admittantur ad habitum, saltem per tres menses maneant in Conventu, ibique diligenter probentur.

6. Quid agendum sit quando Ordinarii nolunt dare literas testimoniales non aliam ob causam, nisi quia opponuntur ingressui Postulantis in religionem?

Resp. Ordinarios, prout in Art. 2. decreti « Romani Pontifices » praescribitur, non posse testimoniales literas denegare; si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad S. Congregationem super statu Regularium.

7. Utrum in his Ordinibus, in quibus praeter conversos laicos habentur Donati, seu Oblati, testimoniales exigendae sint ante susceptionem habitus Donatorum, et Oblatorum, vel potius Conversorum?

Resp. Ante susceptionem habitus Donatorum et Oblatorum.

8. An sit nulla susceptio habitus sine literis testimonialibus?

Resp. Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen invalidam: testimoniales literas omissas in receptione ad habitum quamprimum obtinendas esse, alias Novitii ad professionem licite admitti minime poterunt.

9. Utrum sit invalida professio si fiat omissis testimonialibus literis?

Resp. Non esse invalidam, sed illicitam.

II. Declarationes ad Decretum « Regulari Disciplinae » die 25.Januarii 1848. in Italia et Insulis adjacentibus servandum.

1. Si Superior Generalis alicujus Ordinis, in quo Provinciales non habentur, sit eodem tempore Superior Conventus, seu domus Novitiatus, quomodo se gerere debeat Superior ipse in perficiendo primo scrutinio?

Resp. Superior generalis deputet ad effectum, de quo agitur, probum et idoneum Religiosum, et una cum praescriptis Examinatoribus primum scrutinium perficiat.

2. Si aut per obitum, aut per renunciationem, aut alia quacumque causa numerus Examinatorum provincialium, vel generalium in parte, vel etiam totaliter deficiat, nec tempus celebrationis Capituli, vel Dietae advenerit, quomodo ad eorumdem Examinatorum electionem procedendum erit?

Resp. Servetur methodus in Decreto «Regulari Disciplinae» praescripta pro electione Examinatorum, qui eligendi erant statim post latum idem decretum, et ante celebrationem proximi futuri Capituli, vel Dietae. (Ita praescriptum erat. Art. III. *Usque ad celebrationem proximi Capituli, vel Congregationis provincialis Examinatores Provinciales eligantur per secreta suffragia a Provinciali una cum suis Definitoribus, vel Assistentibus, vel aliis Consiliariis Provincialibus; et si hujusmodi Definitores, Assistentes, Consiliarii in aliquo Ordine desint, electio fiat a Provinciali una cum quatuor Religiosis graduatis, vel gravioribus, si graduati desint, ejusdem Provinciae ab eodem Provinciali deputandis.* Art. IV. *In Ordinibus, in quibus Provinciales non existunt, vel Provincialia Capitula seu Congregationes non celebrantur, si Capitula, Dietae, et Congregationes Generales non convocentur, electio Examinatorum fiat juxta modum in Art. V. designandum,* idest, *Examinatores capitulariter per secreta suffragia a Superiore, et Capitularibus ejusdem Monasterii, Conventus, vel Domus eligantur; et si septem Examinatores eligi minime valeant, Examinatores numero minores, non tamen citra quatuor, eligi poterunt.* Art. VII. *Examinatores Generales usque ad celebrationem proximi Capituli, Dietae, vel Congregationis Generali eligantur per secreta suffragia a Superiore generali una cum saltem tribus Religiosis graduatis seu gravioribus Ordinis ab eodem Generali Superiore deputandis, et deligendis ex Definitoribus, Visitatoribus, Assistentibus, vel Consultoribus Generalibus si adsint).* Examinatores sic electi in officio perdurent usque ad celebrationem proximi Capituli, vel Dietae. Quae me-

thodus etiam servetur quando ex S. Sedis dispensatione Capitula, vel Dietae non celebrantur, et electio Superiorum per decretum S. Sedis, vel per schedas fiat.

3. In aliquibus Institutis capitula provincialia ordinarie celebrantur prope finem triennii, et dumtaxat in praeparationem Capituli generalis, quin in ipsis eligatur Superior provincialis. Quomodo hoc in casu ad electionem Examinatorum provincialium procedendum erit?

Resp. Examinatores provinciales eligendi erunt a Capitulo provinciali, licet illud celebretur in fine triennii, et dumtaxat in praeparationem Capituli generalis. Quod si aliqua vice Capitulum provinciale non convocetur, electio ad consultam provincialem ad hunc effectum convocandam spectabit.

4. An ad officium Examinatorum sive generalium, sive provincialium ita duo Definitores, vel Assistentes, vel Consultores generales, seu provinciales eligi debeant, ut alii Examinatores ex reliquis Definitoribus, Assistentibus, Consultoribus eligi nequeant?

Resp. Negative.

5. Utrum in Ordinibus, et Congregationibus, quae licet habeant Capitula provincialia, tamen Religiosorum inopia laborant, eligendi sint septem Examinatores, vel quatuor tantum sufficiant?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ut vero omnis ambigendi causa, quae ex erronea decreti interpretatione originem habeat, auferatur, sciant omnes ad quos pertinet, in Ordinibus tam amplis quam exiguis sufficere tres Examinatores provinciales, praeter Superiorem provincialem ad primum scrutinium; et tres Exami-

natores generales praeter Superiorem generalem ad secundum scrutinium peragendum; et alios Examinatores ad opportunitatem, et commoditatem eligendos esse.

6. In articulo III. Decreti «Regulari Disciplinae» praescribitur, ut Postulantes accedere debeant ad locum primi scrutinii, ut ab Examinatoribus provincialibus personali examini subjiciantur. Saepe saepius accidit, at hujusmodi examen personale absque notabili incommodo postulantium fieri nequeat, sive ob expensas, sive ob loci distantiam. Quapropter nonnulli Superiores regulares expostularunt quomodo in hujusmodi casibus sese gerere debeant?

Resp. Provincialis (et in his Institutis, in quibus Provincialis non existit, is qui ejus partes juxta decretum adimplere debet) cum tribus Examinatoribus, ad peragendum examen personale postulantium, quando vel ob loci distantiam, vel ob aliam rationabilem causam postulantem ab accessu personali dispensare judicaverint, possint deputare Religiosum sui Ordinis, quem in Domino idoneum revera existimaverint, si examen fiat in loco, ubi Conventus Ordinis reperitur. Secus aliquam personam ecclesiasticam deputent sive ex clero saeculari, sive ex regulari, dummodo Episcopus loci, vel ejus Vicarius generalis eam idoneam judicaverit, transmissa Examinatori deputato instructione circa ea super quibus postulans examinandus erit. Verum Religiosus, vel alia persona ad examen perficiendum deputata transmittere teneatur relationem examinis ab ipso vel ipsa subscriptam, juramento firmatam, *q a profitetur sese fideliter munus suum adimplevisse quacumque humana affectione postposita.* Quibus pe-

ractis Provincialis dictam relationem tribus Examinatoribus exhibere debeat, ut scrutinium, de quo in eodem Art. III. Decreti, in reliquis perficiatur, et caetera omnia, quae in Decretis praescribuntur, omnino serventur.

7. Nonnulli Examinatores nimis anxii sunt in praestando juramento, quo declarare debent »*se omnia requisita a Sacris Canonibus, Constitutionibus, et Decretis apostolicis praescripta debito modo examinasse*» cum non omnes tuto scire possint quaenam sint omnia hujusmodi requisita. Expostularunt propterea ut a Sacra Congregatione super praemissis instructio detur, qua tuto procedi possit.

Resp. Juramentum quoad requisita, et examen qualitatum referri dumtaxat ad requisita, et qualitates *expresse, et specialiter* praescriptas in Constit. Sixti V. incipien. «Cum de omnibus» cum moderatione Gregorii XIV. et in decreto Clementis VIII. cui initium «Cum ad regularem disciplinam» nec non in regulis, et Constitutionibus respectivi Ordinis, seu Instituti. Et juramento satisfieri si ea moralis diligentia adhibeatur, quae a viris probis, et timoratae conscientiae adhiberi solet.

8. An Decretum «Regulari disciplinae» vim habeat in Sabaudia?

Resp. Affirmative.

Quaeritur, An sit nulla, vel tantum illicita professio facta non servata prius forma Decreti «Regulari Disciplinae?»

Resp. Esse tantum illicitam, non vero nullam (ex Decl. die 16. Januarii 1852).

DECRETUM

SUPER VOTORUM SIMPLICIUM PROFESSIONE.

SS.mus D. N. Pius PP. IX. attentis precibus Ministri Generalis Ordinis Capuccinorum haec, quae sequuntur circa naturam, et qualitatem votorum simplicium in encyclicis litteris hujus S. Congregationis super statu Regularium diei 19. *Martii* 1857. *praescriptorum, et circa obligationes, ac privilegia illorum, qui ea emittent, pro eodem Ordine Capuccinorum decernenda statuit, prout praesentis decreti tenore Apostolica auctoritate decernit, atque constituit.*

I. Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem, et complementum accipient.

II. Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui Professi, gravibus urgentibus causis, preces porrigere poterunt.

III. Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis Professorum, ita ut, data dimissione, Professi ab omni dictorum votorum vinculo, et obligatione eo ipso liberi fiant.

IV. Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Ministrum generalem Ordinis cum suo Definitorio generali: poterit in casibus extraordinariis idem Minister generalis cum suo generali Definitorio, et praesertim pro regionibus, et locis longinquis, ad

dimissionem decernendam subdelegare probos ac prudentes Religiosos, qui saltem tres esse debent.

V. Licet ad decernendam dimissionem neque processus, neque judicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent summa caritate, prudentia, ex justis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota; secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem, ex causis infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit.

VI. Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum, et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato suo Ordine legitime utuntur, fruuntur, et gaudent.

VII. Superiores Regulares ad quos spectat, concedere poterunt hujusmodi professis litteras dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram, et ad ordines minores, servatis tamen de jure servandis, et praesertim quae circa ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt.

VIII. Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur, et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

IX. Professi votorum simplicium dominium *radicale*, uti ajunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum

simplicium professione permanserint, administrationem, usufructum, et usum quibus eis placuerit, non tamen suo Ordini.

X. Professi votorum simplicium remanere debent in domibus Professorii, et Studiorum, et vitam communem perfectam observare.

XI. Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia, requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est.

Haec Sanctitas Sua statuit, atque constituit, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus, quibus Apostolica auctoritate derogat, ac derogatum esse declarat.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis super Statu Regularium hac die 12. Julii 1858.

Loco ✠ Sigilli.

A. Archiepiscopus Philippen. Secretarius.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic disponente, vocati, pro pastorali, qua urgemur, sollicitudine haud praetermisimus ad religiosas quoque familias mentis aciem, animique curas intendere, ut eae, de christiana et civili republica optime meritae, ad pristinum splendorem revocarentur, et incrementum acciperent. Probe autem agnovimus tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi humana divinaque omnia pessumdare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam, ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus electum Christi gregem inficiat; vel verae vocationis expers, susceptique Instituti pertaesus gravem sodalibus molestiam inferat cum disciplinae perturbatione, et regularis observantiae discrimine. Idcirco, audito voto VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis super statu Regularium nonnulla hac super re mandavimus edi decreta, inter quae illud praesertim in praesens commemorandum est, quod per litteras encyclicas die XIX. Martii MDCCCLVII. a Ven. Fratre Archiepiscopo Philippensi memoratae Nostrae Congregationis Secretario signatas, publicatum est. In praefatis autem Litteris haec, quae sequuntur, quoad religiosos virorum Ordines, ac Instituta ex nostro expresso mandato, et Apostolica auctoritate sancita fuere, scilicet: «*Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et statutorum ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam majorem quae forsan a statutis proprii Ordinis a*

S. Sede approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII. incipiente «In Supremo» *praefinita est. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Poterit vero Superior generalis ac etiam Superior provincialis ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus Novitiatus, de consensu tamen Magistri novitiorum, et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu sint insigniti. Decreta Congregationis super statu Regularium incipien.* « Romani Pontifices, *et* Regulari Disciplinae» *anno MDCCCXLVIII.promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum, et professionem votorum simplicium.* » Postquam hoc decretum executioni demandatum fuit, ex ipsa experientia comperimus quantum utilitatis ex eo religiosae familiae retulerint, et referre possint. Verum nuper agnovimus aliquos novitios, praetermissa professione votorum simplicium, ad vota solemnia nuncupanda admissos fuisse, et exinde circa dictorum votorum solemnium validitatem gravia dubia suborta esse. Nos igitur cupientes in re tanti momenti omnem ambigendi causam in posterum removere, motu proprio, et certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, quoad religiosas virorum familias cujuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti in quibus solemnia vota emittuntur statuimus, ac decernimus nullam omnino, irritam, et nullius roboris fore professionem votorum solemnium tam scienter, quam ignoranter, quovis modo, praetextu, et colore factam a novitiis quibuscumque etiam laicis,

et conversis, qui licet probationem, et novitiatum prout de jure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum non permanserint, quamvis vel a Superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota solemnia, et ea emittendi; ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti. Haec volumus, statuimus, praecipimus, mandamus, non obstantibus, quatenus opus est, Constitutione Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, et in universalibus, provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, regulis, statutis, et consuetudinibus cujusque Ordinis, Congregationis et Instituti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis, quamvis specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus et singulis illorum tenoribus praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Decernentes has Nostras Litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectabit plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane esse et fore volumus, et declaramus.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Februarii MDCCCLXII. Pontificatus Nostri Anno Decimo sexto.

B. Card. Barberinus.

REIMPRIMATUR
Fr. Vincentius Maria Gatti O. P.
S. P. A. Mag.

REIMPRIMATUR
Julius Lenti Archiepiscopus Sidae
Vicesgerens

38812